Carlo Passaglia
206

BIBLIOTECA NAZIONALE DI TORINO
Dono
del
Prof. Comm. Passaglia
C II 217.

57

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

C 11. 21

DE

PRIMATU

ET

INFALLIBILITATE ROMANI PONTIFICIS.

EDIDIT

LAURENTIUS VEITH,

SS. THEOLOGIAE DOCTOR,

EJUSDEMQUE

IN LYCEO CATHOLICO AUGUSTANO

PROFESSOR PUBLICUS ET ORDINARIUS.

SUPERIORUM PERMISSU.

AUGUSTAE VINDELICORUM.

Apud FRATRES VEITH, Bibliopolas.

MDCCLXXXI.

BIBLIOTECA NAZIONALE ... VITTORIO

Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut natæ ſunt ſchismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Chriſti cogitatur.

S. Cyprianus Epiſt. 55. ad Cornelium.

PRAEFATIO.

Equidem novi, complures easque graviſſimas de Primatu atque Infallibilitate Romani Pontificis lucubrationes pridem a Viris doctiſſimis in lucem editas fuiſſe. At vero cum multis ad manum iſtæ non ſint, & plerisque permoleſtum accidat, vaſta ejusmodi volumina pervolvere; operæ pretium duxi, quandam illorum Synopſin præſente Diſſertatione ob oculos ponere: cum præſertim Primatus Romanorum Pontificum unum ſit e præcipuis Chriſtianæ Religionis Capitibus, ex quo Eccleſiæ Catholicæ Bonum maxime pendet, quodque idcirco Sectarii & Schismatici, ceterique Romanæ Eccleſiæ hoſtes, noſtra potiſſimum ætate, aperta vel occulta vi impetere nituntur. His arma videntur porrigere Doctores Catholici, qui Primatum Papæ defendunt quidem; Dogmaticas tamen ejusdem Conſtitutiones, ante aſſenſum Eccleſiæ ſeu Epiſcoporum, erroribus contra Fidem aut bonos mores obnoxias eſſe poſſe, contendunt.

Itaque contra duplicem Adverſariorum claſſem pugnandum nobis erit. In prima ſunt *Acatho-*

lici, qui Primatum Romani Pontificis vel ſimpliciter negant, vel merum Primatum honoris aut ordinis, non vero juriſdictionis admittunt, vel denique, ſi quam in Fideles totius orbis Chriſtiani concedant Papæ datam eſſe primis Eccleſiæ ſeculis juriſdictionem, hanc non jure Divino, ſed libera Eccleſiæ diſpoſitione, aut gratia Imperatorum Eidem collatam eſſe fabulantur. In altera claſſe ſunt ii Doctores *Catholici*, qui Papæ Primatum juriſdictionis in univerſam Eccleſiam agnoſcunt quidem & aſſerunt (utpote quam ipſa Catholica Fides docet), non ſervata tamen, ut nobis videtur, doctrinæ conſecutione Romani Pontificis dogmaticas conſtitutiones, ante aſſenſum Eccleſiæ, fallibiles eſſe, & errores contra Fidem & bonos mores continere poſſe arbritantnr. Contra hos omnes authoritatem Vicarii Chriſti, Deo auſpice, ſuſcipimus propugnandam, & ſequentes Poſitiones ſtatuimus.

SECTIO

SECTIO I.
DE
ROMANI PONTIFICIS
PRIMATU.

POSITIO I.

Chriſtus, proxime diſceſſurus ad Patrem, ut Eccleſiæ ſuæ viſibile Caput relinqueret, Petrum ſuum in terris Vicarium conſtituit, cum poteſtate & obligatione, docendi regendique univerſam Eccleſiam.

POSITIO II.

Proin Primatum ei contulit non honoris duntaxat & ordinis, ſed juriſdictionis in totam Eccleſiam;

POSITIO III.

Cui aſſertioni nil obſtant argumenta, quibus Romanæ Sedis hoſtes verba S. Scripturæ, Primatum Petri adſtruentia, eludere conantur.

POSITIO IV.

Quin imo hæc ipſa verba evincunt, Petro non ab Apoſtolis, aut Eccleſia, ſed immediate a Chriſto collatum fuiſſe juriſdictionis in totam Eccleſiam, Primatum.

POSITIO V.

Vi cujus S. Petrus ſacram juriſdictionem in omnes Fideles, & in reliquos etiam Apoſtolos exercere potuit.

POSITIO VI.

Unde Primatus haud erat communis SS. Petro & Paulo, ſed ſoli Petro proprius.

POSITIO VII.

Adhæc Chriſtus voluit, ut Primatus, Petro delatus, in omnes ejus legitimos Succeſſores tranſiret;

POSITIO VIII.

Sunt autem Romani Pontifices legitimi Succeſſores D. Petri in Primatu;

POSITIO IX.

Chriſtus igitur voluit, ut quivis legitimus Romanus Pontifex Primatum jurisdictionis in univerſam Eccleſiam habeat.

POSITIO X.

Ex quo conſequitur, Papæ hunc Primatum non ex diſpoſitione Eccleſiæ, nec ex gratia Principum Laicorum, ſed ex ipſa Chriſti inſtitutione, ſeu jure Divino competere.

POSITIO XI.

Quem in omnes Fideles, cum Laicos, tum Clericos, ipſosque Epiſcopos, exigente Eccleſiæ Bono, exercere poteſt.

SECTIO II.

DE ROMANI PONTIFICIS INFALLIBILITATE.

POSITIO XII.

Porro finis præcipuus Primatus, a Chriſto inſtituti, eſt Unitas Eccleſiæ Catholicæ, per Petrum ejusque Succeſſores formanda & conſervanda;

POSI-

POSITIO XIII.

Unitas nempe Fidei & Caritatis, ſive Communionis, ad quam utramque tuendam & conſervandam Chriſtum Petro & Succeſſoribus ejus vim & poteſtatem idoneam dediſſe, certum eſt.

POSITIO XIV.

Quam profecto non dediſſet, niſi ſummus Pontifex Eccleſiam ad aſſenſum, ſuis dogmaticis definitionibus præſtandum, poſſet adſtringere:

POSITIO XV.

Sunt itaque hæ Definitiones jam ante aſſenſum Eccleſiæ infallibiles;

POSITIO XVI.

Id quod ulterius probatur ex ſacris literis, SS. Patribus, & dictis ipſorum Romanorum Pontificum,

POSITIO XVII.

Quin quidpiam obſint varia Adverſariorum effugia, & reſponſiones parum ſolidæ:

POSITIO XVIII.

Sed & ſententiam noſtram cum Solennia Conciliorum effata, tum rationes aliæ Theologicæ, ipſeque adeo nimium recens contrariæ opinionis exortus corroborant;

POSITIO XIX.

Cui quidem opinioni nec geſta dictaque SS. Patrum, Cypriani, Ambroſii & Auguſtini,

POSITIO XX.

Nec neceſſitas, utilitas atque authoritas Conciliorum Generalium,

POSITIO XXI.

Nec prætenſi Romanorum Pontificum errores,

POSITIO XXII.

Nec aliæ quæcunque Adverſariorum rationes quidpiam ſuffragantur.

POSITIO XXIII.

Cum ergo hactenus dicta oſtendant, Romanum Pontificem in ſuis dogmaticis Definitionibus jam ante aſſenſum Eccleſiæ infallibilem eſſe; per modum corollariorum infertur, non poſſe in Quæſtionibus Fidei & Morum legitimam fieri appellationem ab Ejusdem ex cathedra loquentis ſententia ad Concilium Generale,

POSITIO XXIV.

Neque hoc eſſe ſupra Papam, ſed hunc regulariter eſſe ſupra Concilium, etiam Generale.

SECTIO

SECTIO I.

DE
ROMANI PONTIFICIS
PRIMATU.

De Romani Pontificis Primatu, atque infallibilitate gemina Sectione pertractaturi, ut utrumque ſolide ac clare demonſtremus, quibusdam quaſi gradibus progredimur, ita, ut aſſertiones noſtræ una alteram continuato nexu atque ordine conſequantur. Sit itaque

POSITIO I.

Chriſtus proxime diſceſſurus ad Patrem, ut Eccleſiæ ſuæ viſibile Caput relinqueret, Petrum ſuum in terris Vicarium conſtituit, cum poteſtate & obligatione impoſita, docendi regendique univerſam Eccleſiam.

§. I.

Caput Eccleſiæ principale Chriſtus eſt. Et *viſibile* quidem erat, cum inter homines in terris con-

verſaretur. *Inviſibile* autem etiamnum eſt, ex quo ad cælos aſcendit; licet enim non jam per ſe gubernet Eccleſiam modo viſibili, regit tamen inviſibili, per internum gratiæ influxum. Ne vero Eccleſiæ viſibile quoque Caput deeſſet, ſuum in terris Vicarium conſtituit. Dixi *Vicarium*, non *Succeſſorem*; cum enim ſucceſſor ita ſuccedat in locum alterius, ut, qui præceſſit, non retineat poteſtatem antea habitam, hoc ipſo Chriſtus ſucceſſorem nequit habere, quia, quantumvis viſibilem ſuam præſentiam Eccleſiæ ſubtraxerit, tamen eandem ſuam poteſtatem retinet, manetque adhuc Caput Eccleſiæ primarium.

§. II.

At quæres, quem Chriſtus ſuum in terris Vicarium elegerit? Non alium, reſpondent omnes ſincere Catholici, quam *Petrum*, ad quem Dominus Matth. 16. v. 18. & 19. dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Et tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Et iterum Joan. 21. v. 15. 16. & 17. *Dicit ei* Jeſus: *paſce agnos meos — paſce agnos meos — paſce oves meas.* Item Luc. 22. v. 32. *Rogavi pro te* Petre! *ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Petrus igitur fuit, ſupra quem, tanquam petram immobilem, Chriſtus ſuam ſe ædificaturum Eccleſiam promiſit: Petrus fuit, cui ſuos agnos & oves, hoc eſt, univerſos Fideles paſcendos commiſit: Petrus fuit, cui reliquos Epiſcopos & Paſtores, qui proprie appellantur *Fratres ejus*, in Fide confirmandos commendavit, ut per eos poſtea univerſa Fidelium multitudo ædificetur, & in Fide confirmetur. Paucis:

Petrus

Petrus fuit, quem Chriſtus ad Patrem diſceſſurus conſtituit ſuum in terris Vicarium, cum poteſtate & obligatione docendi, regendique univerſam Eccleſiam.

POSITIO II.

Dum Chriſtus Petrum ſuum in terris Vicarium conſtituit, ei non honoris duntaxat & ordinis, ſed Jurisdictionis quoque Primatum contulit.

§. III.

Patet id ex mox citatis Chriſti ad Petrum verbis, ex quibus Theologi orthodoxi SS. Patrum veſtigiis inhærentes tam Petri, quam Succeſſorum ejus Primatum jurisdictionis unanimiter inferunt. *Theologi omnes*, ait celeberrimus (a) *Boſſuetus* Meldenſis in Gallia Epiſcopus, *ac Pariſienſes vel maxime adverſus hæreticos Primatum Apoſtolicum* (jurisdictionis in omnes Fideles; hunc enim Fides Catholica contra Sectarios docet.) *probant ex his locis: Tu es Petrus, & confirma Fratres tuos, & paſce oves meas.* Ac merito. Nam quid aliud denotat Matth. 16. duplex metaphora, ſcilicet *petræ* ſeu fundamenti, & *clavium*, quam Primatum Jurisdictionis Petro collatum? Cum enim Chriſtus ibi ædificio Eccleſiam ſuam comparat, ejusque *fundamentum*, a quo perennis iſtius ædificii conſervatio extitura ſit, Petrum fore prædicit: profecto omnem aliam partialem poteſtatem in Eccleſia ſua, cujus uſu & exercitio Fideles ope legum ad communem Eccleſiæ finem promoveantur, dependere a poteſtate Petri ceu a fundamento voluit. Unde

(a) In prævia Diſſertatione inſerta *Defenſioni declarationis Cleri Gallicani* Editionis Amſtelodamenſis Anni 1745. c. 34. T. 1. p. 31.

de & ſingulari expreſſione reſpectu ipſius utitur: *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Cui enim traduntur claves, ipſe inſtituitur Rex aut Gubernator civitatis. Neque deſunt alii S. Scripturæ textus, in quibus pro ratione materiæ ſubſtratæ claves pro ſigno poteſtatis ſtricte talis (b) accipiuntur.

Porro, quod Chriſtus Matth. 16. ſub gemina metaphora *petræ* & *clavium* Petro promiſit, id poſt reſurrectionem ſuam apparens Diſcipulis ad mare Tiberiadis Joan. 21. his verbis, *paſce agnos meos, paſce oves meas*, eidem actu contulit, nempe Primatum Jurisdictionis in univerſam Eccleſiam. Quod enim hæc verba non aliter a Chriſto, neque a Græcis olim, quam pro ſumma poteſtate accepta ſint, indicio eſt vel ipſa græca hujus textus verſio *ποιμαινε τα προβατα μου*, quod eſt *paſcere præſidendo.* Accedit, quod etiam in aliis Scripturæ locis (c) ſub vocabulo *paſcere* poteſtas jurisdictionis & officia regiminis frequenter deſignentur. Hinc etiam Concilium Oecumenicum Florentinum, de quo a nobis §. XVII. pluribus agendum erit, expreſſe definiit, quod R. Pontifici *in*

(b) Sic Iſaiæ 22. v. 22. de *Eliacim* filio ſummi ſacerdotis *Helciæ* dicitur: *Dabo clavem Domus David ſuper humerum ejus.* Hoc eſt, ut cum *Calmeto* Intrepetes exponunt, conſtituam eum Curatorem & Præpoſitum regiæ domus, a quo omnes Duces & Miniſtri pendebunt. Quin & ſuprema Chriſti poteſtas eodem Clavium ſymbolo deſignatur. Apoc. 3. v. 7. *Hæc dicit ſanctus & verus, qui habet clavem David.*

(c) Jerem. 23. v. 1. & ſeq. Ezech. 34. v. 2. Iſa. 44. v. 28. ubi *Paſtoris* nomen, quo Deus *Cyrum* appellat, optimi Regis qualitatem indicat. Similiter Pſalm. 2. v. 9. ubi in Vulgata legimus, *reges eos*, græcus & hebraicus textus habent, *paſces eos.* Et illud Matth. 2. v. 6. *regat populum meum*, in græco per *paſcat* exprimitur. Accedit, quod Veteres Principibus ſuis *Paſtorum* nomen tribuere aſſueverint; quo laudis appoſito paſſim *Homerus* Iliad. B. illos deſignat.

in B. Petro paſcendi , regendi & gubernandi univerſalem Eccleſiam a D. N. Jeſu Chriſto plena poteſtas tradita ſit : in quibus verbis Concilium manifeſte ſupponit, D. Petro Primatum non tantum honoris, ſed etiam jurisdictionis in univerſam Eccleſiam a Chriſto Domino collatam eſſe.

Denique, dum Chriſtus Luc. 22. v. 32. ſe pro Fide Petri ſemper conſervanda rogaſſe teſtatur, ſimulque eidem præcipit, ut ipſe aliquando converſus confirmet Fratres ſuos, ſicque in veræ Fidei unitate contineat; procul dubio vim cogendi, ſeu Primatum Jurisdictionis, ad hanc Fidei unitatem tuendam & conſervandam neceſſarium, eidem contuliſſe cenſendus eſt: adeo, ut, quando ipſe huic officio ſatisfacturus in inſurgentibus diſſenſionibus circa Fidem, quænam ſit vera Fides, definiat, & hac ratione fratres in Fide ſtudeat confirmare; ipſi in eandem Fidem & Unitatem Fidei tali definitione adigantur. Fruſtra enim præcepiſſet Chriſtus Petro, ut ex officio ſuo Fratres confirmaret in Fide, niſi ipſi ad hanc Fidei Unitatem, facta a Petro dogmatica declaratione, obligarentur. Igitur genuinus ſenſus illorum verborum, *Et tu aliquando converſus confirma Fratres tuos*, maxime ſi attendatur ad SS. Patrum (d) interpretationem, iſte eſt, ut per Petrum vi

(d) *Theophylactus* in hunc S. Lucæ locum inducit Chriſtum cum Petro ſic loquentem: *Quia te habeo ut Principem diſcipulorum, poſtquam negato me fleveris, confirma ceteros: ſic enim te decet, qui poſt me Eccleſiæ petra es, & fundamentum.* Similia habet *S. Leo M.* Serm. 4 al. 3. n. 3. in eundem S. Lucæ locum. Unde *Boſſuetus* in Meditationibus ſuper Evangelium die 70. in hæc Chriſti verba: *Ego autem rogavi pro te, Petre, ut non deficiat Fides tua*, ita differit: *Pro te, inquit, in particulari; pro te diſtincte; non quod alios neglexerit; ſed, ut PP. exponunt, quod firmato capite impedire voluit, ne membra nutarent.*

Primatus ſui controverſiæ Fidei decidantur, & confirmentur reliqui Paſtores & Epiſcopi, qui, ut dixi, proprie ſunt & appellantur *Fratres ejus*, ut per hos poſtea univerſa Fidelium multitudo ædificetur, & in Fide confirmetur.

Idipſum probari poſſet adhuc aliis pluribus SS. Patrum tam græcorum quam latinornm teſtimoniis, qui tres textus S. Scripturæ a nobis citatos etiam ipſimet pro ſtabiliendo D. Petri Primatu frequenter adducunt. Eorum verba longa ſerie recitata invenies apud *Petrum Ballenirium* (e); *Onuphrium Panvinium* F. Eremitam Auguſtinianum (f) alioſque complures Scriptores orthodoxos, qui Petri & R. Pontificum Primatum pertractarunt.

POSITIO III.

Vana ſunt effugia & infirma argumenta, quibus Romanæ Sedis hoſtes Verba S. Scripturæ, pro Primatu D. Petri in præcedenti Poſitione a nobis allata, eludere conantur.

§. IV.

Oppouunt I. & ajunt, Matth. 16. eundem non eſſe *Petrum & petram*, legendumque: Tu es Petrus, *ſed* ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, ita ut Chriſtus per petram deſignaverit ſeipſum, & enuntiatio *adverſativa* ſit, per particulam *ſed*, non vero copulativa. Nam, inquiunt, particula καὶ, quæ ibi in græco textu ponitur, frequenter apud ſeptuaginta Interpretes adverſativa eſt, quemadmodum ἀλλὰ.

Reſpon-

(e) De Primatu R. Pontificis Cap. XIII.

(f) In Opuſculo de Primatu Petri, & Apoſtolicæ Sedis poteſtate Cap. VII. VIII. IX. & X.

Reſpondeo: Licet particula *καὶ* alibi acciperetur adverſative pro *ſed*, hoc tamen loco certiſſime poſita eſt pro *&*, ſenſu ſcilicet copulativo; quia ita hunc textum intelligit & exponit communis Patrum tam græcorum, quam latinorum, quos fuſe citant *Bellarminus* (g) aliique; ac demonſtrat ipſa ratio. Chriſtus enim illis verbis magnum aliquid in remunerationem heroicæ profeſſionis de Divinitate ſua Petro promiſit, nimirum, quod ſuper ipſum (Petrum), tanquam petram immobilem, ædificaturus ſit Eccleſiam ſuam. Hinc ipſe adeo *Joannes dè Camero* ex Doctoribus Proteſtantibus unus (h) fatetur prædictam particulam hic poni ſenſu *copulativo*, non adverſativo, ſeu accipiendam eſſe pro *&*, non pro *ſed*. Dein, quidquid ſit de uſu hujus particulæ apud ſeptuaginta, ea apud alios græcos authores nunquam, aut perraro adverſativa eſt, ut iterum ex ipſis criticis ſacris conſentit *Camero*.

Urgent. Per *petram* 1. Cor. 10. v. 4. Chriſtus intelligitur: *Bibebant autem de ſpirituali, conſequente eos, petra: petra autem erat Chriſtus.* Ergo etiam Matth. 16. per petram Chriſtus ſignificatur. R. nego paritatem. Nam in primo textu nomen *petræ* non poteſt de alio, niſi de Chriſto, intelligi; cum ibi per petram indigitetur cauſſa meritoria gratiarum omnium, quod ſignificatum uni Chriſto convenit. Petra enim illa in deſerto, & inde emanans aqua erat figura Chriſti, qui gratiarum ſuarum influxu cumulavit Jſraëlitas, & nos jugiter cumulat. In altero autem textu nomen *petræ* ſenſu plano congruit Petro, & ſignificatio, totusque contextus id non tantum patitur, ſed poſtulat, ut ſupra oſtendimus.

(g) L. 1. de Rom. cap. 10.

(h) Vide *Joſeph Widmann* Inſtit. Theol. Tom. I. §. 117.

Inſtant. Ipſe *S. Auguſtinus* (i) inducit Chriſtum ſic loquentem : *Super hunc petram , quam confeſſus es* o Petre ! (id eſt , ſuper me ipſum) *ædificabo Eccleſiam meam.* Alii quoque cum Auguſtino , ut *Theodoretus* & *Beda* &c. &c. , in citato Matthæi loco nomine *petræ* Chriſtum intelligunt. R. hi Patres plus non volunt , quam Chriſtum ſolum petram principalem eſſe : quo ſenſu etiam Paulus 1. Cor. 3. v. 11. ait : *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id , quod poſitum eſt , quod eſt Chriſtus Jeſus.* At non inficiantur , Petrum eſſe ſecundariam & in Chriſto fundatam petram. Imo clare hoc aſſerit *Auguſtinus* in Pſalm 69. ita ſcribens : *Petrus , qui paulo ante eum confeſſus erat Filium Dei , & in illa confeſſione appellatus erat petra , ſupra quam fabricaretur Eccleſia.* Et in L. 1. Retract. c. 21. ait : *In hoc libro* (quem nempe contra Epiſtolam Donati ſcripſerat) *dixi in quodam loco de Apoſtolo Petro , quod in illo tanquam in petra fundata ſit Eccleſia.* Addit quidem S. Doctor, ſe poſtea ſæpiſſime aliter expoſuiſſe illa Chriſti verba , *tu es Petrus , & ſuper hanc petram &c. &c.* intelligendo per *petram* Chriſtum ipſum; ſed ideo priorem ſententiam ſuam non retractavit , nec improbavit , ſed tandem concludit his verbis : *Harum duarum ſententiarum , quæ ſit probabilior , eligat Lector.*

Si autem quæras , cur S. Auguſtinus expoſitione valde impropria , & a communi aliorum Patrum mente abhorrente *petram* Matth. 16. frequentius ad Chriſtum retulerit , quam ad Petrum ? R. cauſſa hujus videtur fuiſſe , quia contra Donatiſtas agebat , qui Sacramentorum vim in Miniſtrorum Sanctitate collocabant : unde timens , ne, ſi Eccleſia *in Petro fundata* diceretur, homines de Sanctitate Miniſtrorum præſumerent , ac in ea vim Sacramentorum & ſpiritu-

(i) Tract 123. in Joan.

rituale Eccleſiæ ædificium fundarent, maluit fundamenti ſeu petræ rationem ad Chriſtum revocare. Duabus præterea aliis rationibus movebatur S. Auguſtinus, ut in citato textu S. Matthæi *petræ* nomine ipſum Chriſtum intelligeret. Prima erat, quia 1. Cor. 10. v. 4. dicitur: *Petra autem erat Chriſtus.* Altera, quod Chriſtus Matth. 16. non dixerit: *Tu es petra*, ſed *tu es Petrus*, *& ſuper hanc petram.* Unde S. Doctor in mutatione illa generum *Petrus* & *petra* myſterium latere ſuſpicatus, exiſtimabat, vocem *Petrus* quidem de Apoſtolo, at *petram* de Chriſto ipſo debere accipi.

Verum utraque hæc ratio nihil probat. Prima; quia, etſi Chriſtus intelligatur nomine *petræ* in uno loco, ſcilicet in cit. Epiſt. ad Corinthios, utique non ſequitur, eum nomine hoc intelligi Matth. 16. aut in omni Scripturæ loco, ubicunque nomen *petræ* legitur. Altera; quia licet cit. loc. S. Matthæi illa generum mutatio *Petrus*, *petra* in textu græco & latino inveniatur, in textu tamen Syriaco, Arabico, Perſico nulla eſt generis mutatio, neque habetur, *tu es Petrus*, ſed *tu es petra*, *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meám.* Sic in Textu Syriaco legimus: *Tu es Cepha*, *& ſuper hanc Cepha ædificabo Eccleſiam meam* (l): Chriſtus autem, ut omnes Eruditi norunt, Syriace locutus eſt, & S. Matthæus Evangelium ſuum originaliter Syriace (ſeu lingua mixta ex Hebræo & Chaldaico ſermone Judæis tunc uſitata) ſcripſit. *Auguſtinus* vero, ut de ſeipſo (m) fatetur, linguam hebræam ignoravit, & forte etiam

A 5 græ-

(l) Syriacum *Cepha* poſtea ab Evangeliſtis formatione ac terminatione græca ſcribebatur κηφας, Cephas; hinc Petrus ab iis etiam *Cephas* dicitur.

(m) Epiſt. 131. ad *Memorium*, ubi ait: *Quibus numeris conſiſtant verſus Davidici, non ſcripſi, quia neſcio. Ne-que*

græcam non perfecte calluit, juxta quam πετρος & πετρα reapſe idem ſignificant, nempe lapidem ſeu petram duriſſimam. E contrario id probe ſcivit S. *Hieronymus* in linguis orientalibus diu multumque verſatus, qui vocem Syriacam *Cephas* ſeu latinam & græcam *Petrus* ſignificare idem nempe *petram* aperte pronuntiat, in c. 2. ad Galat. ita ſcribens: *Modo Cephas, & modo Petrus ſcribitur, non quod aliud ſignificet Petrus, aliud Cephas, ſed quod, quam nos latine & græce petram vocamus, hanc Hebræi & Syri, propter linguæ in ſe viciniam, Cepham nuncupant.*

Imo faſſus idipſum eſt (n) Calviniſtarum Anteſignanus *Beza* in cit. loc. S. Matthæi ita commentatus: *Dominus Syriace loquens, nulla uſus eſt agnominatione, ſed utrobique dixit Cepha: quemadmodum & vernaculum nomen,* Pierre, *tam de proprio, quam de appellativo dicitur. In græco quoque ſermone* πετρος *&* πετρα *non re, ſed terminatione tantum differunt.* Ita Beza, & quoad hoc recte.

At *quæres*: Si in Syriaco *Cephas petram* ſignificat, cur Evangelii interpres Latinus non ſic vertit: *Tu es petra, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam?* Cur primo loco *Petrus*, ſecundo *petra* poſuit?

R. quia Latinus non Syriacum, ſed græcum textum tranſtulit in Latinum: in græco autem textu primo loco ponitur πετρος, ſecundo πετρα. Sed petes: Cur igitur græcus interpres, qui textum Syriacum tranſtulit, non vertit utraque vice πετρα genere fœminino, ita, ut legatur: *Tu es* πετρα, & ſuper hanc πετραν, ſed prima vice πετρος? R. quia exiſti-

que enim ex hebræa lingua, quam ignoro, potuit etiam numeros interpres exprimere, ne metri neceſſitate ab interpretandi veritate --- digredi cogeretur.

(n) Vide Cornel. a Lap. in c. 2. ad Galat.

iſtimavit, maſculinum πετρος aptius, quam fœmininum πετρα viro tribui. Unde voluit prima vice potius dicere πετρος *Petrus*, quam πετρα *petra*; cum ſenſus, ut ſupra dixi, maneat idem, & his duabus vocibus græcis eadem res, nempe rupes ſaxumque duriſſimum maſculino & fœminino genere ſignificetur; ut ex *Homero* & *Xenophonte* inter Eruditos compertum eſt, atque in Lexicis græcis videri poteſt Quamvis autem græcus interpres prima vice πετρος poſuerit, noluit tamen eandem repetere vocem; ſed ſecundo loco potius poſuit πετρα, *ſuper hanc petram*, ut magis explicaret metaphoram, ſignificaretque, Eccleſiam Chriſti ædificandam eſſe, non ſupra Petrum, qua hominem infirmum & labilem; ſed ſuper lapideam ejus & petroſam firmitatem, quam a Chriſto accepturus erat.

Antequam hunc paragraphum finiam, illud adhuc obſervo, quod S. *Auguſtinus*, licet ex ignorantia linguæ hebraicæ & quodam modo etiam græcæ putaverit forſan, ex his ſolis verbis, *tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, primatum Petri non ſatis probari, aut ex aliis rationibus hunc Primatum ex verbis illis probare noluerit, eundem tamen aſſeruit in aliis pluribus locis, præſertim L. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 1. dicens: *Ecce ubi commemorat Cyprianus — Apoſtolum Petrum, in quo Primatus Apoſtolorum tam excellenti gratia præeminet — a poſteriori Apoſtolo Paulo eſſe correctum — Cæterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumelioſus exiſtam. Quis enim neſcit, illum Apoſtolatus principatum cuilibet Epiſcopatui præferendum?* Et Tract. 124. in Joan. *Cujus Eccleſiæ Petrus Apoſtolus, propter Apoſtolatus ſui Primatum, gerebat figurata generalitate perſonam.*

§. V.

§. V.

Oppon. II. Lutherani cum *Illyrico*, & ajunt: Juxta *Hilarium*, *Chryſoſtomum*, *Cyrillum Alex. Ambroſium*, aliosque (o) plures Patres per *petram* intelligitur *Fides* ſeu *Confeſſio Petri*: ergo Catholici inepte dicunt, per hanc petram intelligi ipſum Petrum. R. conc. ant. nego conſ. Nam qui Fidem Petri Eccleſiæ petram dicit; is non excludit Petrum, ſed ipſum ſatis in ea Fide & Confeſſione eſſe Eccleſiæ fundamentum agnoſcit. Qua enim alia ratione ſuper Petrum ædificata Eccleſia eſt, niſi ſuper ejus Fidem, quam, dum prædicavit, & tanquam Caput Eccleſiæ in Fidelibus conſervare ſtuduit, Eccleſiaſtici ædificii fundamentum poſuit. Certe, ut S. *Ambroſius* (p) recte obſervat, non ſuper oſſa, non ſuper carnem Petri ædificata eſt Eccleſia; ſed ſuper Fidem ab eo prædicatam conſtructa optime intelligitur.

Porro laudati Patres, qui Eccleſiam ſuper Fidem & Confeſſionem Petri, tanquam *petram* immobilem, ædificatam eſſe dicunt, ſimul docent (q), hanc petram eſſe Petrum ipſum. Itaque nomine *petræ* intelligunt Fidem & Confeſſionem Petri, non ſeorſim a Petro, ſeu, ut ſcholæ loquuntur, *in abſtracto*,

(o) Horum verba citat. *Bellarminus* L. 1. de Rom. Pontif cap. 10.

(p) De Incarnatione c. 5. n. 34. ait: *Fides ergo eſt Eccleſiæ fundamentum; non enim de carne Petri; ſed de Fide dictum eſt, quia portæ mortis non prævalebunt.*

(q) *Chryſoſtomus* homil. 55. in Matth. ubi ait, per *petram* ſignificari *Fidem Petri*, etiam hæc habet: *Dominus ait: Tu es Petrus, & ego ſuper te ædificabo Eccleſiam meam.* Igitur idem Chryſoſtomus, qui Fidem ac confeſſionem, perſonam quoque Apoſtoli *petræ* nomine intellexit. Hinc etiam Homil. 44. in Iſai. c. 6. Petrum expreſſe compellat *baſim Eccleſiæ*.

ſto, ſed *in concreto* ſpectatam, ſeu prout a Petro edita eſt.

Nempe, ſicut, dum *Hierouymus* Epiſt. 61. ad Pammachium dicit, *ſuper aquas ambulaſſe Petri Fidem*, his verbis non negat ſubjectum, ſeu perſonam Petri ambulaſſe, ſed duntaxat deſignat meritum miraculi; ita citati Patres, quando Eccleſiam fundatam dicunt ſupra Petri Fidem & Confeſſionem, non excludunt ipſius Petri perſonam, ſed volunt dicere, Eccleſiam eſſe fundatam ſupra Petrum ſimul, ejusque Confeſſionem.

§. VI.

Oppon. III. Saltem per *petram* Matth. 16. non ſolus Petrus, ſed quilibet homo fidelis, quilibet imitator Chriſti, quilibet Apoſtolus intelligitur; prout expreſſe docet *Origenes* Tract. 1. in Joannem. R. *Origenes* loc. cit. textum S. Matthæi non literaliter, ſed allegorice (ut ſæpiſſime ſolet) exponit. Alibi autem hæc Scripturæ verba proprie ac literaliter nobiscum accipit, nempe Hom. 5. in Exodum ita loquens: *Vide, magno Eccleſiæ fundamento, & petræ ſolidiſſimæ, ſuper quam Chriſtus fundavit Eccleſiam, quid dicatur a Domino: Modicæ fidei quare dubitaſti?* Alludit nimirum *Origenes* ad locum Matth. 14. v. 31.

At *quæres*: Quomodo Petrus eſt aut dici poteſt *petra Eccleſiæ ſolidiſſima;* cum tamen brevi, poſtquam ob confeſſionem ſuam *Petri* ſeu *petræ* nomen a Chriſto accepit, miſere lapſus eſt, & ex Servatoris ore Matth. 16. v. 23. audiit: *Vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi?* R. Non quilibet Petri lapſus, ſed ſolum, qui in Fide ſit, Eccleſiæ ruinam, ſi poſſet, poſt ſe traheret. At Petrus tunc non peccavit peccato contra Fidem, ſed ſolum vitio naturalis in Chriſtum amoris, eum a paſſione

&

& morte retrahere voluit; ſicut poſtea, dum Chriſtum negavit, juxta Patres non defecit a Fide interna, ſed ſolum ex timore lapſus eſt. *Volentem ad paſſionem pergere*, ait *Hieronymus* in c. 14. Matth. *prohibet Petrus, & licet erret in ſenſu, tamen non errat in affectu, nolens eum mori, quem Filium Dei fuerat paullo ante confeſſus.* Dein, etſi Petrus in Fidem ipſam tunc peccaſſet; error ejus Eccleſiæ ruinam trahere non potuit, quia tunc nondum erat fundamentum Eccleſiæ, ſed duntaxat hæc prærogativa ei a Chriſto promiſſa fuit; actu autem collata eſt primum poſt reſurrectionem Servatoris Joan. 21. v. 15. & ſeq. prout iterum S. Hieronymus in c. 16. Matth. eleganter advertit his verbis: *Prudens Lector inquirat, quomodo poſt tantam beatitudinem*: Beatus es Simon Bar - Jona; *nunc audiat*: Vade poſt me Satana? *Sed conſideret, qui hoc quærit, Petro illam benedictionem, & beatitudinem ac poteſtatem, & ædificationem Eccleſiæ ſuper eum, in futurum promiſſam, non in præſenti datam*; ædificabo, *inquit*, ſuper te Eccleſiam meam. Hucusque *Hieronymus*.

Urgent: Interrogatio Chriſti Matth 16. *Vos autem, quem me eſſe dicitis*? fiebat ad omnes Apoſtolos, & Apoſtoli omnes in Scriptura fundamenta Eccleſiæ vocantur: unde *Hieronymus* L. 1. contra Jovinianum c. 14. ait: *Super omnes Apoſtolos ex æquo Eccleſiæ fortitudo ſolidatur*: ergo verba illa promiſſionis, *tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, non pertinent ad ſolum Petrum, ſed ad omnes Apoſtolos, conſequenter ex illis non evincitur Primatus Petri.

R. *ad 1mum*: Interrogatio quidem directa erat ad omnes Apoſtolos; nulla tamen iis hic a Chriſto facta eſt promiſſio, ſicut nulla ab illis data eſt reſponſio. Nec enim reſponderunt verbis ſuis (ſaltem

de

de hoc S. Matthæus nihil teſtatur), imò neſciebant, quid reſpondendum eſſet; ſolusque Petrus ex revelatione Divina Chriſti Divinitatem tunc intellexerat: quod etiam Patres docent apud Bellarminum L. 1. de R. Pontif. c. 12. Neque verum eſt, quod Petrus proprie & ſtricte loquendo, *omnium nomine* Chriſto interroganti reſponderit. Quamvis enim *Chryſoſtomus* in hunc locum ſcribat, Petrum tunc fuiſſe *os Apoſtolorum*: per id tantum ſignificatur, ceteros ſilentio ſuo Petri confeſſionem approbaſſe, & ſic quaſi per *os Petri* locutos fuiſſe. Item dum *Hieronymus* ait, Petrum *ex perſona omnium Apoſtolorum* Chriſti Divinitatem profeſſum eſſe, ſenſus eſt, Petrum reſpondiſſe, ut Caput & Principem ceterorum. Similiter, quando S. *Auguſtinus* ſerm. 13. de verbis Domini aſſerit: *Unus pro multis dedit reſponſum*, nempe Petrus, ſenſus eſt: Petrus ſolus reſpondit pro omnibus Apoſtolis; id eſt *loco* omnium, ſive id, *quod etiam reliqui reſpondere debuiſſent*, ſi eandem, quam Petrus accepit, de Chriſti divinitate revelationem ipſi quoque habuiſſent. Paritas aliqua habetur in caſu, quo Præceptor diſcipulos omnes interrogat, & ex omnibus unus tantum reſpondet; quia ille ſolus, quid reſpondendum ſit, novit: hoc enim caſu poteſt ille unus dici *reſpondiſſe pro omnibus*, licet ignorent ceteri, quid reſpondeant.

Ad 2dum concedimus, reliquos etiam Apoſtolos eſſe fundamenta Eccleſiæ ex duplici capite. Primo, quia prædicatione doctrinæ a Deo revelatæ, poſuerunt Eccleſiæ Chriſtianæ fundamentum; uti & Prophetæ. Hinc ad Epheſ. 2. v. 20. primi illi Chriſtiani dicuntur *ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum.* Dein, quia Apoſtoli primi Eccleſias ubique fundarunt, ita, ut ab ipſis Eccleſiæ omnes, quæ ab aliis etiam Viris apoſtolicis poſtea fundatæ ſunt, originem acceperint.

Id

Id indicatur Apoc. 21. v. 14. ubi deſcribuntur civitatis Dei *fundamenta duodecim*, quibus inſcripta ſunt *duodecim nomina duodecim Apoſtolorum.* Atque in hac utraque prærogativa (Prædicationis nimirum & Fundationis Eccleſiarum) pares fuere omnes Apoſtoli. Nihilominus ratione *Gubernationis* Petrus inter illos primatum principatumque obtinuerat. Licet enim omnes ampliſſimam a Chriſto poteſtatem pro univerſa Eccleſia acceperint, tanquam Apoſtoli & Legali ipſius: tamen in huius exercitio poteſtatis a Petro ut Capite dependebant; prout Poſitione V. & VI. pluribus oſtendemus.

Ita rem explicat ipſe, qui nobis objectus eſt, *Hieronymus* loc. cit. ita loquens: *At dicis, ſuper Petrum fundatur Eccleſia. Licet idipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claves regni cœlorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur: tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut* NB. *capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio.*

Denique, ne quis exiſtimet, binis illis Scripturæ locis, quibus Apoſtoli *fundamenta Eccleſiæ* vocantur, aut Matth. 18. v. 18. ubi omnibus Apoſtolis ligandi atque ſolvendi poteſtas a Chriſto datur, quidquam derogari Primatui Petri Matth. 16. aſſerto, ulterius obſervandum venit, quod in prioribus tribus locis (r) Petrus non minus, quam duodecim alii in numero Apoſtolorum comprehendatur: attamen Petro præterea & ſingulariter Matth. 16. præ aliis Apoſtolis, ob excellentem illam de Divinitate Chriſti confeſſionem, tanquam præcipuum aliquid, a Chriſto ſignificetur, quod ſit illa *petra*, ſuper quam Eccleſia ædificaretur, id quod nulli alteri

(r) Nempe ad Epheſ. 2. v. 20. Apoc. 21. v. 14. Matth. 18. v. 18.

ri Apoſtolorum dictum eſt: & quod amplius eſt; ſolus ille, mutato nomine *Simonis*, accepit nomen aliud aptum ad ſignificandam proprietatem fundamenti, nempe nomen *Petri*, quod ante non habuit.

§. VII.

Opp. IV. Lutherus & *Calvinus*, & dicunt: Claves regni cælorum non ſolus Petrus accepit, ſed etiam reliqui Apoſtoli, utpote ad quos omnes Chriſtus Matth. 18. v. 18. dixit: *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* Hinc S. *Hieronymus* in Pſalm. 38. ait: *Quod Petro dicitur, ceteris Apoſtolis dicitur: Et tibi dabo claves:* ergo ex his Chriſti verbis non probatur Primatus Petri. R. quamvis Petrus claves non ſolus acceperit ſimpliciter; accepit tamen eas ſolus ſpecialiter & cum ſingulari prærogativa. Enimvero præcipuum aliquid præ ceteris Apoſtolis Petro datum fuiſſe Matth. 16., clare indicant & illa Chriſti ad eum verba, & ego dico *Tibi*, quia *Tu* es Petrus, & *Tibi* dabo claves, & ipſæ facti circumſtantiæ. Nam poteſtas clavium ibi Petro promiſſa eſt *poſt* & *ob* inſignem illam de Chriſti Divinitate confeſſionem, quam ipſe præ aliis Apoſtolis ſolus tunc edidit. Nimirum Chriſtus hoc loco poteſtatem clavium promiſit uni Petro ſpecialiter & absque dependentia ab aliis Apoſtolis exercendam: his vero poſtea Matth. 18. eandem non *ob* aliquod meritum, nec eis ſolis, ſed omnibus Eccleſiæ Præpoſitis dandam prædixit, qua tamen non niſi cum ſubordinatione ad Petrum, aut legitimos ejus ſucceſſores uterentur. Unde *Petrus de Marca* (s) ea verba, *Tibi dabo claves regni cælorum*, ad unum Petrum directa affirmat, *ut ſcirent omnes, Pontificii poteſtatem ſemper cum Petro Eccleſiæ capite com-*

(s) Differt. de diſcrimine Cleric. & Laic. c. 3. n. 2.

communione & unitate continendam, ad quod ipſe præcipue cum poteſtate ligandi contumaces huic unitati cogere poſſet.

Urgent: Chriſtus Joan. 20. ad omnes Apoſtolos æqualiter dixit: *Sicut miſit me Pater, ita ego mitto vos*: ergo omnibus dedit æqualem clavium poteſtatem. R. Equidem hoc dixit Chriſtus ad Apoſtolos Joan. 20. ſed Joan. 21. uni Petro dixit: *Paſce agnos meos, paſce oves meas*, nempe priori loco agitur de miſſione Apoſtolica (*ego mitto vos*), poſteriore vero loco de regimine ſupremo, quod ſoli Petro conceſſum eſt.

Inſtant Lutherus & *Calvinus*, & ajunt: S. *Auguſtinus* (t) expreſſe dicit, Petrum, quando claves accepit, repræſentaſſe totam Eccleſiam: ergo Petrus habuit merum Primatum honoris; quia in ſua perſona repræſentavit totam Eccleſiam; non vero Primatum jurisdictionis in totam Eccleſiam. R. quando S. Auguſtinus iterato aſſerit, Petrum, dum accepit claves regni cælorum, geſtaſſe figuram Eceleſiæ, non vult, Petrum typum ac figuram Eccleſiæ ſubiiſſe, quemadmodum *Legati* ſolent repræſentare perſonam ſuorum Principum; ſed potius, ſicut *Princeps* populi ſui perſonam ubique ſuſtinet. Ait enim in Pſalm. 108. Petrum *propter Primatum* repræſentaſſe totam Eccleſiam: *Cujus* (Eccleſiæ) *Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatus ſui Primatum gerebat figurata generalitate perſonam.* Et rurſus: *Eccleſiæ ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam, propter Primatum, quem in diſcipulis habuit.* Similiter, quando ſermon. 8. de diverſis c. 2. ait, has claves *non hominem unum, ſed unitatem accepiſſe Eccleſiæ*, nil aliud vult, quam quod claves traditæ ſint Petro, ut Principi & Paſtori Eccleſiæ, non in privatum ipſius commodum, ſed publico Eccleſiæ bono, atque in perpetuam Eccleſiæ *unitatem* conſervandam. Ad hunc autem finem obtinendum non ſuffeciſſet mera Eccleſiæ repræſentatio ſine jure præcipuo &

(t) In Pſalm. 108. Item ferm. 8. de Diverſis c. 2.

& vi cogendi omnes ſubjectos Fideles ad Unitatem in Fide ſervandam. Quare, quando Auguſtinus ait, Petrum, claves regni cœlorum accipientem, perſonam ac figuram Eccleſiæ geſſiſſe *propter primatum, quem in diſcipulos habuit*, non intelligit ſolum Primatum honoris, ſed conjunctum cum Primatu jurisdictionis, vi cujus in uno & per unum Unitas compingatur & conſervetur in tota Eccleſia; ut Poſitione XII. & ſeqq. demonſtrabimus.

At *inquies* cum *Magdeburgenſibus* (u), ſi verbis illis, *Tibi dabo claves regni cœlorum*, Petro fuiſſet promiſſus Eccleſiæ principatus; non orta ſubinde fuiſſet contentio inter Apoſtolos, *quis eorum videretur eſſe major*. At hæc contentio poſtea inter eos ſuborta eſt Matth. 18. Præterea Dominus ſaltem, ad hanc eorum contentionem reprimendam, dixiſſet: Nolite inter vos litigare; jam enim audiviſtis, Petrum a me ceterorum Principem deſignatum. Nihil autem hujusmodi dixit Dominus: ergo illa promiſſio clavium Matth. 16. nihil ad Petri Primatum facit.

R. *ad primum*. Neg. maior. Apoſtoli enim, eo tempore adhuc rudes admodum, promiſſionem Domini, Petro locutione tantum metaphorica factam, aperte non intellexerunt, niſi poſt reſurrectionem Chriſti, ubi clarius Petro ſoli dixit: *Paſce oves meas*. Nihilominus eos ſaltem ſuſpicatos fuiſſe, quod Petrus omnium Princeps forte conſtituendus eſſet, & ideo contendiſſe inter ſe, docent *Origenes*, *Chryſoſtomus*, & *Hieronymus* in cap. 18. Matth.

Ad ſecundum omiſſa Maj. N. min. Quid enim ſibi volunt illa Chriſti verba Luc. 22. v. 26. *Qui major eſt in vobis, fiat, ſicut minor, & qui præceſſor eſt* (græce *hegumenos*, Dux) *fiat ſicut miniſtrator*? Nonne unum majorem ducemque ceterorum fore, ſatis aperte indicavit? Quem vero, niſi Petrum?

B 2 Deni-

(u) Centur. 2. c. 7.

Denique *inſtat Calvinus* (x) & ait : Accipere claves regni cælorum, poteſtatemque ligandi & ſolvendi, non eſt accipere Primatum, aut poteſtatem jurisdictionis in alios, ſed præciſe poteſtatem remittendi vel retinendi peccata. Sic enim, quid ſit ſolvere, & ligare, Chriſtus ipſe expoſuit Joan. 20. v. 23. Quomodo autem remittantur peccata, vel retineantur, Scriptura paſſim docet, cum per Evangelii prædicationem teſtatur illuminari homines, & liberari a peccatis. Itaque ille remittere dicitur peccata, qui, annuntiando Evangelium, homines convertit ad Deum; ille dicitur retinere, qui eos, quos videt obſtinatos, declarat ſempiternis pœnis eſſe mancipandos. Ex quo ſequitur, accipere claves regni cælorum ad ſolvendum & ligandum, non eſſe accipere principatum, vel poteſtatem in alios; ſed nudum ac ſolum miniſterium verbi. Quam expoſiſitionem dicit *Calvinus* eſſe non argutam, non coactam, ſed germanam, fluentem, obviam.

R. Nego, quod accipere claves regni cælorum, & poteſtatem ligandi & ſolvendi cit. loc. præciſe ſignificet remittere, aut retinere peccata. Nam in Scriptura *ligare* dicitur, qui præcipit, & qui punit. Sic de præceptis loquitur Dominus Matth. 23. dicens: *Alligant onera gravia, & importabilia in humeros hominum.* De pœnis Matth 18. *Quæcunque alligaveritis ſuper terram &c.* hic enim etiam, Calvino teſte, loquitur Dominus de cenſura excommunicationis. Ligat enim Eccleſia eos, quos punit pœna excommunicationis. Hinc etiam communiter dicimus, homines obligari ad legem ſervandam, item obligari ad pœnam ſubeundam, ſi eam non ſervent. *Solvere* autem dicitur, non ſolum ille, qui remittit peccata, ſed etiam, qui liberat a pœna, qui diſpenſat

(x) Inſtitut L. 4. c. 6. §. 3. & c. 11. §. 1.

ſat in Lege, in votis, juramentis, & ſimilibus obligationibus. Cum ergo, Matth. 16. Chriſtus dixit Petro generaliter: *Quodcunque ligaveris, quodcunque ſolveris &c.* dedit ei poteſtatem præcipiendi, puniendi, diſpenſandi, remittendi; proinde Petrum promiſit conſtituere Judicem & Principem omnium, qui ſunt in Eccleſia.

Deinde falſum quoque eſt, nihil eſſe aliud remittere peccata, quam Evangelium prædicare. Et mirum eſt, tam obviam expoſitionem nulli Veterum obviaſſe, ſed uni Calvino tandem occurriſſe. Certe *Chryſoſtomus* & *Cyrillus* in cap. 20. Joan. & *Hieronymus* in Epiſt. ad Hedibiam intelligunt per auctoritatem remittendi peccata, poteſtatem, conferendi Sacramenta Baptiſmi & Pœnitentiæ, non poteſtatem concionandi. Non eſſe autem idem concionari & baptizare, docet Paulus 1. Cor. 1., ubi dicit, ſe miſſum a Domino, *non baptizare, ſed evangelizare.*

§. VIII.

Oppon. V. Illa Chriſti verba Joan. 21. *paſce oves meas*, non ſoli Petro, ſed omnibus Eccleſiæ paſtoribus dicta ſunt; prout expreſſe docet *Auguſtinus* L. de agone Chriſtiano c. 30. his verbis: *Cum ei* (Petro) *dicitur, ad omnes dicitur*: *Amas me? paſce oves meas.* Hinc, ut *Calvinus* L. 4. c. 6. §. 3. advertit, Petrus in ſua 1. Epiſt. c. 5. v. 2. hortatur Compresbyteros ſuos: *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem.* Ergo ex his verbis: *Paſce oves meas*, non probatur Primatus Petri.

R. Etſi hæc Chriſti verba in ſenſu hiſtorico & literali proprie & principaliter ad ſolum Petrum pertineant, omnibus tamen Paſtoribus Eccleſiæ ſuo quodam modo, ſeu in ſenſu morali conveniunt, quia videlicet hi omnes Petri formam in paſcendo grege imitari debent. Itaque quod ſummo Paſtori di-

citur, id etiam ſuo modo, ſervata proportione, aliis minoribus paſtoribus dicitur. Atque idcirco Dominus, facturus Petrum paſtorem Eccleſiæ, interrogavit eum ter, an plus ceteris diligeret, ut admonerentur Fidelium Paſtores, ipſos debere eſſe præditos excellenti caritate, exemplo Petri. Huc etiam pertinet illud *Leonis* ſermon. 3. de Anniverſario Aſſumptionis ſuæ: *Id eo Petro hoc ſingulariter creditur, quia cunctis Eccleſiæ Rectoribus Petri forma præponitur.*

Ceterum quando Petrus in Epiſt. ſua hortatur Compresbyteros ſuos, ut ipſi quoque gregem Dei paſcant, loquitur de grege, non univerſali, ſed particulari; cum dicat: Paſcite, *qui in vobis eſt*, gregem Dei: quemadmodum & Paulus, cum Actor. 20. v. 28. hortatur Aſianos Epiſcopos, ut *attendant ſibi & univerſo gregi*, ſtatim adjungit: *In quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos*; id eſt, attendite non univerſo ſimpliciter, ſed tantum univerſo illi gregi, qui vobis commendatus eſt. Itaque prædicta Petri verba non prohibent, quin ſoli Petro ſit commiſſa poteſtas generalis & ſuprema totum gregem Chriſti paſcendi: quod Chriſtus generalibus illis verbis expreſſit: *Paſce agnos meos, paſce oves meas.*

Quod enim hæc verba in ſenſu literali proprie ac principaliter ſoli Petro dicta ſint, patet non ſolum ex contextu, ſed etiam ex ſcopo orationis, & SS. Patrum (z) doctrina. Nam poſtquam Chriſtus jam antea Joan. 20. v. 21. Apoſtolos omnes cumulative cum Petro inſtruxerat pari poteſtate legislatrice & jurisdictione, dicens: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos &c.*; nihilominus poſthæc Apoſtolis pluribus præſentibus Joan. 21. v. 2. a Petro ſingillatim primo conteſtationem amoris erga ſe ſpecialis exigit, ter repetens: *Simon Joannis, diligis me plus his?* Apoſtolis videlicet

(z) Vide Bellarmin. L. 1. de Rom. Pontif. c. 14.

cet præſentibus. Et cum tertio reſponderat confidenter quidem pro intima conſcientia, ſimulque reverenter & modeſte: *Domine tu ſcis, quia amo te*; Chriſtus, ſupremus ille Paſtor & Princeps ſummus Eccleſiæ ſuæ, coram Apoſtolis præſentibus, id eſt, coram Rectoribus Eccleſiæ ipſis, jam alias a ſe conſtitutis, dicit tertium ſoli Petro: *Paſce agnos meos*, *paſce oves meas*, omnes ſcilicet, quas hucusque ego pavi. Quorſum, quæſo, omnes hæ parergæ verborum in Legislatore divinæ Sapientiæ, ſi Petro non voluiſſet hic conferre ſpecialem prærogativam & primatum præ reliquis Apoſtolis? Agnovit hoc perbene Auguſtinus. Unde ſermon. 108. de diverſis c. 4. loquens de his Chriſti verbis, *paſce oves meas*, ait: *Non enim* Petrus *inter diſcipulos ſuos ſolus meruit paſcere Dominicas oves: ſed quando Chriſtus ad unum loquitur, unitas commendatur, & Petro primitus, quia in Apoſtolis Petrus eſt primus*, primatu videlicet non ſolum honoris, ſed jurisdictionis; quia ſine hoc per Petrum ejusque Succeſſores Unitas Eccleſiæ conſervari non poſſet, uti indicavimus §. VII. & pluribus oſtendemus in Poſitione XII. & per decurſum Sectionis 2dæ.

Inſtat Lutherus in libro de Poteſtate Papæ, & contendit, in Chriſti dicto, *paſce oves meas*, per illam vocem, *paſce*, nullam datam eſſe novam poteſtatem, ſed duntaxat injunctum fuiſſe officium diligendi, prædicandi, & docendi Petro, qui jam antea conſtitutus erat Apoſtolus & Paſtor. Nam paſcere, inquit, non eſt præeſſe, ſed cibum præbere, ac miniſtrare, quod etiam ab inferiore fieri poteſt. R. per verbum, *paſce*, intelligitur ex communi uſu loquentium omnis actus paſtoralis. Idem enim eſt paſcere, quod agere paſtorem, ſive eſſe paſtorem. Porro actus paſtoralis non eſt tantum præbere cibum, ſed etiam ducere, reducere, tueri, præeſſe, regere, caſtigare. Certe Paſtores ovium non ſolum pa-

bulum illis præbent, ſed eas etiam regunt, & baculo cogunt, ut pareant. Hinc *Homerus* L. 2. Iliados, Regem Agamemnonem frequenter vocat ποιμένα λαῶν, id eſt, paſtorem populorum, & in ipſis Scripturis paſſim *paſcere* accipitur pro eo, quod eſt *regere*, prout ſupra oſtendimus §. III., ubi etiam ſpecialiter, probavimus, vocem, *paſce*, Joan. 21. ſignificare ſummam poteſtatem regendi Eccleſiam

§. IX.

Hæc ſunt præcipua argumenta, quæ Sectarii, Schiſmatici, aliique Primatus Petri, & Succeſſorum ejus hoſtes contra textus Scripturæ a nobis §. II. & III. citatos (a) afferre ſolent. Duas ſolum addo obſervationes. Ima eſt: Etſi *petram*, ſuper quam ædificaturum ſe Chriſtus Eccleſiam ſuam promiſit, alii quidem *Chriſtum* ipſum, alii *Fidem & Confeſſionem* Petri, alii denique cum Petro *reliquos* etiam *Apoſtolos* interpretentur; ſalva tamen manet doctrina de Primatu Petri; quia nihilominus certum eſt, in ſenſu literali (cujus hic præcipua ratio habenda eſt) Petrum in in ea Chriſti diſpoſitione *peculiari quadam ratione* ſignificari, & reliquis Apoſtolis præferri. Sic etiam, ſive verba illa, *paſce oves meas*, ſoli Petro, ſive etiam ceteris Apoſtolis & Paſtoribus Eccleſiæ dicta intelligantur, nemo tamen prudens inficiari poteſt, ea ſpecialiter ad Petrum, tanquam Eccleſiæ Primatem, pertinere. II. Generalis reſponſionis loco ad omnia adverſariorum argumenta & violentas textuum S. Sripturæ expoſitiones ſufficit id unum quærere: Quidſi Rex aliquis terrenus, profecturus in exteras regiones, ante diſceſſum ſuum conſtitueret miniſtros plures pro regendo ſuo populo; uni autem, ceteris miniſtris præſen-

(a) De Textu Luc. 22. v. 32. hoc loco nihil dicendum. Redibit de eo ſermo in Sectione 2da.

ſentibus, ſpecialiter diceret: *Tibi do adminiſtrationem regni mei: quæcunque in eo ſtatueris, juſſeris, prohibueris, rata erunt, tanquam a me ipſo præſente conſtituta eſſent. Tu, ſi vere me amas, paſce, guberna ſubditos meos.* Quid ex hoc concludendum erit ceteris tum ſubditis, tum miniſtris? Et ſiquidem uni illi ſupremo conſtituto miniſtro in abſentia Regis parere detrectarent; quo obtentu ſe reduci Regi a rebellionis crimine purgare poſſent? An quod non ita ſuprema verba illius interpretanda cenſuerint, ut ſubjectos ſeſe illi miniſtro haberent? At enim num hæc excuſatio locum haberet? An non tanquam inanis & frivola a Rege rejiceretur?

POSITIO IV.

Petrus Primatum jurisdictionis in univerſam Eccleſiam immediate a Chriſto accepit, & non ab Apoſtolis, vel ab Eccleſia.

§. X.

Nam Apoſtoli, aut Eccleſia ſeu cœtus Fidelium Petro dare non potuit, quod is jam antecedenter jure divino habuit: atqui in Poſitionibus I. II. & III. demonſtravimus, quod ſumma poteſtas clavium, ſeu Primatus jurisdictionis in univerſam Eccleſiam a Chriſto immediate data ſit Petro (Chriſtus enim Matth. 16. immediate ipſi Petro dixit, & promiſit: *Ego tibi dabo claves regni cælorum*; non dixit: *Ego dabo claves Coapoſtolis tuis, vel Eccleſiæ, a quibus eas accipies*): ergo Collegium Apoſtolorum, vel cœtus Fidelium, ſeu Eccleſia has claves Petro dare non potuit. Certe nulla probabili ratione, imo evidenter contra obvium tenorem verborum Chriſti aſſeritur, Chriſtum Matth. 16. immediate Collegio Apoſtolorum, aut Eccleſiæ promiſiſſe, Petro vero tantum mediate ſeu per Collegium Apoſtolorum, vel Eccleſiam accipiendas. Neque S. Petrus regimen ſupremum Eccleſiæ

exercere lege Chriſti divina juſſus eſt, ut Miniſter delegatus Collegii Apoſtolorum, aut Eccleſiæ, ſed ut immediatus Miniſter & Vicarius ipſius Jeſu Chriſti. Unde merito damnatum eſt ſyſtema *Richerianum*, de quo ſermo redibit §. XXV.

At opponunt nonnulli: Chriſtus ipſe Matth 18. v. 17. de reo contumaci accuſando & judicando ad Petrum ait: *Dic Eccleſiæ*: ergo poteſtas clavium, ſeu ſacra poteſtas judicandi immediate data eſt Eccleſiæ, ſeu univerſo cœtui Fidelium, non vero Petro, nec Apoſtolis, niſi ut miniſtris Eccleſiæ. R. conc. ant. nego conſ. Agitur ibidem de correctione fratris, qui Petrum offendiſſet. Hunc privatim primum ac fraterne corrigendum Chriſtus docuit. Quodſi privata monitio fructum non conſequeretur, juſſit adhiberi unum teſtem, vel duos; & ſiquidem hi quoque nihil proficerent. *dic Eccleſiæ*, inquit; addensque ſtatim, *ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*, excommunicationem aperte ſignificavit, qua ille præciſus ab Eccleſiæ corpore habendus ſit velut ethnicus & publicanus. *Eccleſiæ* igitur nomine, cui denunciandi crimінoſi, & ni hujus judicio acquieſcant, excommunicandi ſint, intelliguntur ii, qui poteſtatem excommunicandi, ligandi & ſolvendi a Chriſto acceperunt: hos autem non fuiſſe totam ſocietatem Eccleſiæ, Laicis quoque fæminiſque comprehenſis, ſed Petrum & Apoſtolos, patet ex iis, quæ mox ipſe Chriſtus ſubdidit v. 18., *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo &c. vobis*, inquit, non omnibus Eccleſiæ membris. Unde etiam S. *Chryſoſtomus* in hunc locum verba illa, *dic Eccleſiæ*, explicavit de Præpoſitis Eccleſiæ, quibus tantum ea poteſtas clavium data fuit. Præterea ipſa praxis, quæ in Eccleſia univerſa perpetuo cuſtodita fuit, idipſum confirmat. Inobedientes enim & contumaces Eccleſiæ Præpoſitis delati fuerunt, nec aliis, quam Petro

&

& Apoſtolis eorumque Succeſſoribus non nudum miniſterium tantum, ſed jus ipſum clavium a Chriſto traditum Catholica Eccleſia perpetuo credidit. Quare cum S. Petrus & Apoſtoli eorumque Succeſſores appellati ſunt, aut leguntur *Eccleſiæ miniſtri*; non idcirco hic titulus iisdem tributus intelligi poteſt, quaſi ab Eccleſia acceperint poteſtatem clavium; ſed quia poteſtas ejusmodi ipſis immediate tradita a Chriſto fuit, ut in Eccleſiæ bonum ea poteſtate uterentur, ipſique Eccleſiæ ſacra miniſtrarent. Ceterum etiam illud notandum, quod frequentius vocentur *miniſtri Chriſti*, quam *miniſtri Eccleſiæ*; quia videlicet immediate a Chriſto, & non ab Eccleſia poteſtatem clavium acceperunt.

At *inquies*: S. *Hieronymus* & S. *Anſelmus* in hunc S. Matthæi locum, ac S. *Gregorius* L. 4. Epiſt. 38. in illis verbis: *Dic Eccleſiæ*, per *Eccleſiam* intelligunt Fidelium cœtum & multitudinem: ergo manet argumentum. R. diſt. ant. intelligunt Fidelium cœtum, quaſi Chriſtus huic dediſſet poteſtatem clavium, & Jurisdictionem ſacram, neg. ant. intelligunt cœtum Fidelium, hoc tantum ſenſu, quod Chriſtus hic velit, ut coram toto cætu illo talis contumax arguatur, ut pudefiat, itaque emendetur. conc. ant. & neg. conſ. Ceterum per *Eccleſiam* loc cit. S. *Chryſoſtomus*, *Theophylactus*, *Euthymius* & alii paſſim, ac communius intelligunt Eccleſiæ Paſtores & Prælatos, & idipſum ſuadet ratio a nobis ſupra adducta.

Quæres: cur in caſu Fratris, offendentis Petrum, vel ſummum Pontificem, judicium *Eccleſiæ*, ſeu alicui Eccleſiæ Præpoſito ſit committendum potius juxta effatum Chriſti, quam ipſi Petro, ſive ſummo Pontifici? R. ratio in promptu eſt: quia nemo, etſi ſupremæ poteſtatis, in propria cauſa haberi ſolet idoneus Judex, qui omni affectu ac præjudicio careat, nec in ſuſpicionem aliquam veniat. Ceterum de citato

tato loco S. Matthæi redibit ſermo in Sectione 2da, ubi agemus de Superioritate Papæ ſupra Concillum etiam generale.

POSITIO V.

S. Petrus Primatum Juriſdictionis exercere potuit in omnes Fideles, etiam in reliquos Apoſtolos.

§. XI.

Aſſertio hæc fluit ex præcedentibus, præcipue ex illo Joan. 21. v. 17. *paſce oves meas*; nam inter omnes oves Chriſti erant etiam Apoſtoli. Idipſum clare affirmant Patres. S. *Leo* ſerm. 3. in Anniverſario die Aſſumptionis ſuæ ait: *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui & univerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctisque Eccleſiæ Patribus præponatur, ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, multique Paſtores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus.* S. *Auguſtinus* Enarrat. in pſalm. 108. inquit: *cujus* (Eccleſiæ) *ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam, propter Primatum, quem in diſcipulis habuit.* S. *Epiphanius* Hæreſ. 51. ait: *Petrum diſcipulorum ſuorum Principem elegit.* SS. Patribus accedit unanimis ſententia Doctorum Catholicorum, ex quibus *Habert* P.II. de Hierarchia Eccleſiaſt. c. 5. §. 5. quæſt. 2. ait: *Ut ſervetur Eccleſiæ unitas, & primatus ſummi Pontificis, ſatis eſt, quod Chriſtus Apoſtolos & eorum Succeſſores* (Epiſcopos) *inſtituerit cum ſubordinatione, illos ad Petrum, iſtos ad ſummum Pontificem Petri Succeſſorem.*

§. XII.

Sed *opponunt Lutherus* & *Calvinus* aliorum PP. teſtimonia, præſertim S. *Cypriani* L. de Unitate Eccleſiæ dicentis: *Hoc erant utique & ceteri Apoſtoli,*

quod

quod Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis: ergo Petrus non habuit primatum Jurisdictionis in alios Apoſtolos. R. *S. Cyprianus* citatis verbis immediate addit: *Sed exordium ab unitate proficiſcitur, & primatus Petro datur, ut Eccleſia una monſtretur.* Et *Auguſtinus* L. 2. de Baptiſmo c. 1. hunc S. Cypriani locum citans, ait: *Ecce ubi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in ſacris ſacris Scripturis didicimus, Apoſtolum Petrum, in quo Primatus Apoſtolorum tam excellenti gratia præeminet.*

At *petes*: Qui S. Cyprianus absque contradictione dicere potuit, Apoſtolos omnes *pari* a Chriſto fuiſſe *præditos conſortio honoris & poteſtatis*, & tamen Petro primatum datum? R. optime hæc duo concordant. Pares nimirum erant omnes Apoſtoli quoad *intrinſecam* & *eſſentialem* poteſtatem *Apoſtolatus*; cum omnes a Deo immediate vocati & miſſi fuerint; ſed non quoad *extrinſecam* & *accidentariam*, quæ in ordine ac diſpoſitione regiminis eſt poſita, qua inferiores fuiſſe S. Petro reliquos Apoſtolos Patres omnes cum S. Cypriano conſtantiſſime docent. Itaque ſciendum, quid *Primatus*, quid *Apoſtolatus* nomine apud Patres, atque Cyprianum inprimis veniat.

Explicuit utrumque luculenter Card. *Perronius* c. 58. in Reſponſione ad Regem Angliæ. Diſtinguit is Apoſtolatus dignitatem & poteſtatem in intrinſecam, ſive eſſentialem, & in extrinſecam, ſive accidentariam. Ad priorem refert, quod omnes Apoſtoli a Chriſto vocati & miſſi ſint; omnes ex æquo munus Apoſtolicum acceperint; cum æquali prorſus amplitudine poteſtatis ubique terrarum prædicandi Evangelium, fundandi Eccleſias, miniſtrandi Sacramenta, aliaque omnia exercendi, quæ ad Eccleſiæ propagationem neceſſaria aut utilia prævidiſſent. Atque in his æquales prorſus fuiſſe Apoſtolos ſtatuit. Accidentariam

tariam vocat, & extrinſecam, quæ tota, quanta ſita eſt in modo & ordine poteſtatis illius exercendæ: in hac vero inæquales fuiſſe Apoſtolos contendit, & in Petro aliquid ſupra ceteros eximium: cum enim Chriſtus Apoſtolica illa munia ubique, & ab omnibus, quos vocaverat, exerceri vellet, ſervata unitate Eccleſiæ; ad hanc tuendam decrevit, principium ac radicem ejus in Petro conſtituere: quod ſane ut impetraret etiam, atque ſic Schismata ab Eccleſia averteret, placuit Petro præ ceteris, & in ceteros ſingularem poteſtatis & dignitatis acceſſionem tribuere, quo nempe is, ceu Caput vicarium, omnes Fideles æque ac Apoſtolos in officio contineret, & Eccleſiam ab hæreſi omni, atque Schismate tutaretur. Ita *Perronius.* Secutus eſt hac in doctrina Patres, inter quos S. *Hieronymus* a nobis §. VI. laudatus expreſſe ait: *Inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto Schismatis tollatur occaſio.*

At *Dices*: Nullum poterat Schismatis aut erroris inter Apoſtolos eſſe periculum, quorum corda & actiones omnes Divinus ille Spiritus, qui ipſa Unio & amor eſt, moderabatur præſentiſſima ſua aſſiſtentia, eosque reddebat infallibiles in rebus Fidei: ergo Primatus Petri in alios Apoſtolos erat inutilis. R. Quamvis Apoſtoli non indiguerint Primate; inſtitui nihilominus jam tum primatum in omnes, etiam Apoſtolos, erat quam maxime congruum: non quod tali diſciplina Apoſtolis opus eſſet, ſed ut forma induceretur regiminis in Eccleſiam, perquam ſalubris, & neceſſaria Eccleſiæ; atque vel ideo obſervanda ſanctius, quod ex ipſa Chriſti inſtitutione proceſſiſſet, & Apoſtolorum moribus conſecrata eſſet. Sane nec eguit Eccleſia a principio Conciliis, ad religionis dubia diſſolvenda: cum enim afflati fuerint Spiritu S., fieri non poterat, ut in errorem vel ſeorſim ſpectati conſentirent. Congregantur nihilominus Actor.

15.

15. in unum, ad decidendam controverſiam, quæ de uſu Legalium ſuſcitata erat, quo nempe ſic poſteris commendaretur Conciliorum uſus, nemoque ſagacitati, aut ſapientiæ ſuæ confideret, cum Apoſtolos ipſos, licet divina luce plenos, ad componendas ejusmodi graves cauſſas in unum conveniſſe legiſſet. Chriſtus cum Primatum Petro in Apoſtolos ipſos detulit, non præſentem, ſed futuram Eccleſiæ neceſſitatem reſpexit. Igitur reliqui Apoſtoli Petro erant ſubordinati, non quod in Apoſtolicarum facultatum uſu, & in Eccleſiarum regimine iidem afflati Spiritu Sancto, qui caritatis & unitatis Spiritus eſt, poſſent a Petro deſciſcere, ſed in Epiſcoporum, qui ſibi ſuccederent, nec eodem S. Spiritu futuri eſſent confirmati, inſtitutionem & exemplum.

§. XIII.

Opponit II. *Lutherus* in L. de poteſtate Papæ. Potiori jure Primatum ſibi vindicare poterat B. Jacobus Apoſtolus, Epiſcopus Jeroſolymitanus, quam Petrus: ergo. Prob. ant. B. Jacobus erat Epiſcopus Jeroſolymitanæ Eccleſiæ, quæ eſt mater omnium Eccleſiarum; præterea eſt ſucceſſor Chriſti, quia Chriſtus pariter fuit Epiſcopus Jeroſolymæ, non Romæ: ergo. R. Imo. Præſcindendo ab inſtitutione & voluntate Chriſti, nullus Apoſtolorum vindicare ſibi potuit Primatum; potuiſſet enim Chriſtus quemcunque ex Apoſtolis, aut etiam extra Collegium Apoſtolicum ſibi ſubſtituere. Cum igitur defacto Chriſtus inſtituerit, & voluerit Petrum eſſe Caput Eccleſiæ, & Vicarium ſuum, ut Poſitione prima & ſequentibus hucusque probavimus, fruſtra prærogativæ B. Jacobi aut aliorum Apoſtolorum in medium adducuntur ad affingendum ipſis primatum.

R. 2do.

R. 2do. Nego ant. cum addita probatione. Nam Jeroſolymitana Eccleſia Mater ceterarum dici quidem poteſt *antiquitate* ob Domini & Apoſtolorum præſentiam, quam longo tempore habuit: ſed nihil hoc tamen præjudicat Primatui Petri. Nam quemadmodum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Jacobus fuit Paſtor & Epiſcopus, ita Petrus fuit Paſtor & Epiſcopus totius Eccleſiæ, ac proinetiam Jeroſolymæ, quæ univerſalis Eccleſiæ portio quædam eſt. Itaque Romana Eccleſia, in qua Petrus ultimo ſedit, licet antiquitate poſterior, dignitate tamen & magiſterio eſt prior, Mater & Magiſtra omnium Eccleſiarum, ut docent SS. Patres. Unde etiam *S. Bernardus* L. 2. de conſiderat. ait: *Jacobus una Hieroſolyma contentus, univerſitatem Petro cedit.* Plura de comparatione Petri cum Jacobo invenies apud Bellarminum L. 1. de Rom. Pontifice cap. XXVI.

§. XIV.

Oppon. III. non poteſt dici, in quonam reliqui Apoſtoli fuerint D. Petro ſubordinati; nam omnes habuerunt donum infallibilitatis in rebus Fidei, & jurisdictionem in univerſum orbem: ergo. R. nego ant. & dico: Primatus Petri in alios Apoſtolos potiſſimum conſiſtebat in jure eos cogendi ad communionem & unitatem Fidei ſecum ſervandam. Hanc enim Apoſtoli reliqui debebant ſervare cum Petro, tanquam Unitatis Catholicæ centro, & in eandem Unitatem Eccleſias, quas ædificabant, & Epiſcopos, quos præficiebant Eccleſiis, debebant informare; neque Apoſtolorum Fides aliter fuit fundamentum Eccleſiæ, niſi quia fuit una cum Fide Petri, & ſic ipſi quodammodo inhærebat, cui tota Eccleſia, ac totius Eccleſiæ Fides, Chriſto inſtituente, debet incumbere. *Eccleſia eſt una*, ſcribit *S. Cyprianus* Epiſt. 73. *& ſuper unum*

unum, qui claves accepit, Domini voce fundata. Hinc etiam *Petrus de Marca* (b) ait: *Tenebantur Apoſtoli fundare Eccleſias in unitate, cujus Caput cum eſſet Petrus, illius communioni eas ſubiicere tenebantur.* Et num. 21. addit: *Porro unitas ab omnibus Apoſtolis ſervanda in illa una* (Petri) *cathedra, ne, ſi ab ejus Unitate recedentes in Eccleſiis ædificandis aliam cathedram* (cathedræ nomen præcipue ad Fidei doctrinam refertur) *conſtituerent, Schismatici & peccatores haberentur. Nullum* quidem *erat periculum, ne ſciſſa unitate Eccleſiæ, Apoſtoli proprias ſibi Eccleſias defenderent, ſejunctas a communione Petri. Sed regiminis ſemel conſtituti forma expoſcebat, ut ſciremus, Apoſtolos quoque ipſos huic regulæ a Chriſto præſcriptæ ſubditos fuiſſe.* Ex quibus omnibus patet, concedendum quidem, quod Apoſtoli etiam ſeorſim ſpectati habuerint donum (c) infallibilitatis in recte docendis dogmatis & Legibus, ac præterea jurisdictionem quoad ſpiritualia in univerſum orbem, ſed ſubordinatam Petro.

Inſtant: 1. Petrus nullibi primatus ſui mentionem facit; neque ex Scriptura conſtat, eum unquam exercuiſſe jurisdictionem in alios Apoſtolos: imo Scriptura non raro videtur contrarium aſſerere: Ergo. Prob. Ant. Septem Diaconi non a Petro tantum, ſed etiam ab aliis Apoſtolis Actor. 6. fuerunt conſtituti.

(b) In opuſculo *de diſcrimine Clericorum & Laicorum n.* 13.

(c) Apoſtolis etiam *ſingulis* infallibilitatis in docendo donum ſpeciale & conſtans a Chriſto fuiſſe conceſſum, eſt communis Theologorum Chriſtianorum, nullo tamen Eccleſiæ oraculo definita ſententia, quæ tamen ſolidum habet fundamentum in S. Scripturis. Nam Joan. 14. v. 16. Chriſtus ait Apoſtolis: *Ego rogabo Patrem meum, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* v. 26. *Ille vos docebit omnia, & uggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Promiſſi hujus exe cutio habetur Actor. 2. v. 4. *Repleti ſunt omnes SpirituS.*

II. Apoſtoli Actor. 8. miſerunt Petrum & Joannem in Samariam. Atqui qui mittitur, eſt inferior. III. Paulus & Barnabas Actor. 15. controverſiam de Legalibus non ad ſolum Petrum, ſed ad omnes Apoſtolos detulerunt. IV. Petrus ipſe ſe ceteris presbyteris æqualem, non majorem pronuntiat; appellat enim ſe *compresbyterum* ſeu *conſeniorem*. 1. Petri 5. v. 1. V. Paulus ad Galat. cap. 2. nullam agnoſcit ſubjectionem ad Petrum, aut Jacobum, aut Joannem: *Quibus*, inquit, *neque ad horam ceſſimus ſubjectione*. Item: *Qui videbantur eſſe aliquid, nihil contulerunt*. Item: *Dextras dederunt mihi ſocietatis*. VI. Paulus ad Galat. 2. v. 11. Antiochiæ Petro *in faciem reſtitit*, *quia reprehenſibilis erat*. Ergo non putavit, B. Petrum eſſe ſuum ſuperiorem; alias ipſi non reſtitiſſet absque arrogantiæ nota.

R. Non eſt mirandum, quod D. Petrus non inſolenter, aut arroganter de primatu ſuo gloriatus fuerit, aut cum faſtu eum in alios Apoſtolos exercuerit: cum fuerit Doctor manſuetudinis & humilitatis, præcipue ex quo cæpit eſſe Caput Eccleſiæ. De cetero argumentum, quod ex ſilentio Scripturæ hic ducitur, nullius eſt momenti, cum ſciamus plerasque res, ab Apoſtolis geſtas, ſcripto non fuiſſe conſignatas.

Dein non deſunt teſtimonia S. Scripturæ de primatu, a Petro cum modeſtia exercito. Sic Actor. 1. v. 15. Petrus ſe caput, ducem & principem Apoſtolorum omnium declaravit, cum ex conſeſſu Apoſtolico primus aſſurgens, duodecimi Apoſtoli creationem verbis graviſſimis, ſupremamque ſuam poteſtatem ſignificantibus indixit ac denuntiavit. In Apoſtolico autem Jeroſolymitano Concilio, ubi Jacobus aderat Jeroſolymitanus Epiſcopus, ubi aderant Paulus & Barnabas, omnium primus ſurrexit Petrus, verbaque fecit, quo loquente atque ſententiam dicente, *tacuit omnis multitudo*, Act. 15. v. 12. omnesque illi aſſen-

aſſenſi ſunt. Denique, quamvis Petrus de ſuo primatu parce locutus fuerit, aut egerit: tamen Evangeliſtæ, dum numerum Apoſtolorum recenſent, eorumque nomina recitant, ſemper exordiuntur a Petro, ſicque inter omnes primum fuiſſe declarant Matth. 10. v. 2. Luc. 6. v. 13.

Ad I. Adverſariorum prob. R. Neque Jmperator exercet ſolus omnes actus Jurisdictionis, quamvis ſit Caput Jmperii. Dein, dum Apoſtoli ſeptem Diaconos conſtituerunt, credendum, id factum eſſe Petro auctore, vel certe conſentiente. Tunc ſolum derogaret ejus primatui, ſi probaretur factum eo nolente, & invito.

Ad II. R. Nomen *miſſionis*, non neceſſario ſignificare ſubjectionem in eo, qui mittitur. Dicitur enim *mittere*, quicunque eſt auctor alicui, ut eat, ſive id faciat præcepto, ſive conſilio & ſuaſione, quomodo & par parem, & minor majorem aliquando mittit. Nam Matth. 2. *Herodes* miſit Magos in Bethlehem, in quos tamen nullum habebat imperium. Pater divinus miſit Filium, nec tamen major eſt Filio: & Ariani ex eo, quod Pater Joan. c. 6. & 20. miſerit Filium, perperam inferebant, Patrem eſſe majorem Filio; quia, ut dicebant, mittens major eſt eo, qui mittitur. At ad rem ipſam redeamus: miſerunt Apoſtoli non imperando, ſed conſulendo & ſuadendo Petrum ad Samaritanos; quia res maxima erat, novam illam gentem in Fide confirmare, & *Simonem* magum, qui miris illam gentem præſtigiis illuſerat, uſque adeo, ut ei *auſcultarent omnes a minimo uſque ad maximum, dicentes: Hic eſt virtus Dei, quæ vocatur magna*, debellare &c. &c. Quidſi alicujus negotii difficultas præſentiam Romani Pontificis expoſceret, & a Cardinalibus is pro bono Eccleſiæ, ad iter ſuſcipiendum rogaretur: num ea profectio derogaret auctoritati ſuæ? Minime omnium. Imo augeret; quia

 eſſet

eſſet indicio, tam magni momenti negotium ſine tantæ Majeſtatis præſentia tranſigi non poſſe. Sic profecto prærogativa Petri magis ex illo itinere in Samariam innotuit.

Ad III. Id factum eſt, ut deciſio fieret cum majori apparatu, parteſque litigantes facilius acquieſcerent, ſi cauſam a toto Collegio Apoſtolorum, vel majore ejus parte deciſam viderent. Plures controverſiæ ad Parlamentum Galliæ deferuntur: nemo tamen exinde inferet, Regem Galliæ primatum non habere in ſuo regno. Cæterum, ut ſupra indicavi, in hoc ipſo Concilio Apoſtolico Petrus primatum ſuum oſtendit, dum omnium primus ſurrexit, eoque loquente & ſententiam dicente, *tacuit omnis multitudo.*

Ad IV. Dico: Petrus dum ſe vocat *Compresbyterum*, duntaxat humilitatis & modeſtiæ gratia id facit; ſicut R. Pontifices ſolent Epiſcopos vocare *Fratres*; nec tamen ex illa appellatione ſequitur, Petrum fuiſſe prorſus æqualem aliis Apoſtolis. Appellatio enim illa non eſt dignitatis aut magiſtratus, ſed humilitatis, ordinis, vel ætatis. Nam & compresbyter fuit Petrus, & Princeps aliorum Apoſtolorum: compresbyter ætate, vel ordine; Princeps paſcendi jure.

Ad V. R. Verba illa, *quibus nec ad horam ceſſimus ſubjectione*, non ad Petrum alioſve Apoſtolos, ſed ad pſeudo-Apoſtolos referuntur ab ipſo Paulo. Sic enim legimus: *Sed propter ſubintroductos fratres, qui ſubintroierunt explorare libertatem noſtram, quam habemus in Chriſto Jeſu, ut nos in ſervitutem redigerent. Quibus nec ad horam ceſſimus ſubjectione.* Illis autem verbis, *qui videbantur eſſe aliquid, nihil contulerunt*, Paulus ſignificat, nihil ſe doctrinæ ab Apoſtolis ceteris accepiſſe, ſed de omnibus a Chriſto diligenter inſtructum. Quod autem addit, *dextras mihi dederunt ſocietatis*, probat quidem, Paulum & Petrum, reliquoſque Apoſtolos fuiſſe

fuiſſe ſocios in officio prædicandi, ſed non evincit, Petrum non fuiſſe Paulo majorem in officio gubernandi. Scopus enim Pauli in Epiſtola ad Galatas non fuit, oſtendere, ſe non eſſe Petro ſubjectum quoad gubernationem (certe nullam hujus rei mentionem facit) ſed Evangelium ſuum æque verum & divinum eſſe, & a Chriſto ipſo immediate acceptum, atque Evangelium Petri, Jacobi, & Joannis. Id enim eſt, quod pſeudo - Apoſtoli jactaverant, nimirum Petrum, Jacobum, & Joannem a Chriſto ipſo doctos, Paulum autem hominum eſſe diſcipulum, proinde verius exiſtimandum illorum, quam Pauli Evangelium.

Itaque adverſus haſce pſeudo - Apoſtolorum calumnias, ita Paulus orditur Epiſtolam ſuam: *Paulus Apoſtolus, non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum & Deum Patrem.* Et infra: *Notum facio vobis Evangelium, quod evangelizatum eſt a me, quia non eſt ſecundum hominem. Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem Jeſu Chriſti.*

Ad VI. R. Scio, multos Recentiores cum Clemente Alexandr. apud Euſebium L. 1. Hiſtor. cap. 14. contendere, non Petrum Apoſtolum, ſed quemdam alium nomine *Cephas* a Paulo reprehenſum fuiſſe. Scio etiam, Hieronymum, & alios non paucos velle, non vere, ſed ſimulatorie Petrum reprehenſum; ſed quia probabilior eſt Auguſtini ſententia, quod ſerio fuerit Petrus reprehenſus: quia inſuper multis probabilius videtur, Cepham, qui a Paulo fuit reprehenſus, fuiſſe ipſum Petrum Apoſtolum; omiſſis his quæſtionibus criticis, & admiſſo, quod Petrus ſerio a Paulo fuerit reprehenſus, dico, licere minori reprehendere majorem, modo res id poſtulet, & debita reverentia conſervetur. Hinc *Cyprianus* in Epiſt. ad Quintum, Petri humilitatem laudat, quod a Paulo reprehenſus non dixerit, ſe primatum tenere, & ſibi potius obtemperari a novellis oportere. Et *Auguſtinus*

nus in Epiſt. 82. alias 19. ad Hieronymum, ſic ait: *Rarius & ſanctius exemplum Petrus poſteris præbuit, quo non dedignarentur a poſterioribus corrigi — Eſt laus itaque juſtæ libertatis in Paulo, & ſanctæ humilitatis in Petro.* Ita Auguſtinus. *Gregorius* quoque homil. 18. in Ezechiel. de Petro inquit: *Se etiam minori fratri ad conſenſum dedit, atque in eadem re factus eſt ſectator minoris ſui, ut etiam in hoc præiret; quatenus qui primus erat in Apoſtolatus culmine, eſſet etiam primus in humilitate.* Et infra: *Ecce a minore ſuo reprehenditur, & reprehendi non dedignatur.*

POSITIO VI.

Primatus Jurisdictionis in univerſam Eccleſiam non erat communis SS. Petro & Paulo, ſed ſolius Petri proprius.

§. XV.

Hæc Poſitio præcedentis corollarium eſt. Nam D. Petro omnes reliqui Apoſtoli in regimine Eccleſiæ ſubordinati erant (ut §. XI. & ſequentibus oſtendimus); ergo etiam D. Paulus; conſequenter non potuit habere conſortium ejusdem cum Petro dignitatis & juriſdictionis, ſive primatus. Hac quidem de cauſa propoſitio ex quibusdam Libris (d) inGallia ſcriptis excerpta: *SS. Petrus & Paulus ſunt duo Eccleſiæ capita, unum Caput conſtituentes*, die 24. Januarii an. 1647. in Congregatione S. Officii (e) proſcripta & hæreſeos notata fuit ab Innocentio X, eo ſenſu ex-

(d) Originem damnata hæc doctrina traxit ex *Antonii Arnaldi* Libro *de frequenti Communione*, in cujus Libri Præfatione mentio fit de duplici Eccleſiæ Capite SS. Petro & Paulo.

(e) Hoc decretum legitur inter alia decreta ſubjecta Indici Librorum prohibitorum, edito ſub Alexandro VII. Romæ anno 1664. num. 53. pag. 357.

explicata , *ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum & S.Paulum ſine ſubordinatione & ſubjectione* S. *Pauli ad S. Petrum in poteſtate ſuprema & regimine univerſalis Eccleſiæ.* Hoc Pontificium decretum , tamquam æquiſſimum , Gallicana quoque ſuſcepit Eccleſia ; quemadmodum conſtat ex literis octoginta quinque Epiſcoporum Galliæ anno 1653. datis ad eundem Pontificem Innocentium, quibus laudatum Decretum reſpicientes, inſeruerunt hæc verba : *Experta eſt nuper Beatitudo veſtra , quantum Apoſtolicæ Sedis in gemini Capitis errore profligando valuerit Auctoritas. Continuo ſedata eſt tempeſtas, atque ad Chriſti vocem venti & mare obedierunt.* Igitur , licet D. Paulus aliis nominibus Prædicationis , doctrinæ , ærumnarum pro Chriſto toleratarum S. Petro æqualis , aut ſuperior (f) fuerit ; ipſi tamen ratione primatus ſubordinatus & ſubjectus erat in *poteſtate ſuprema , & in regimine univerſalis Eccleſiæ.*

§. XVI.

Qui Ecclcſiam bicipitem eſſe volunt , & B. Paulum , invitum quamvis , in partem primatus vocant, fruſtra ad quosdam S. Scripturæ textus , ad Patrum Authoritatem , ad effata ipſorum R. Pontificum , ſe *Succeſſores SS. Petri & Pauli* pronuntiantium , aut ad veteres picturas confugiunt , in quibus dexterum latus B. Paulus , ſiniſtrum B. Petrus occupat.

Nam I. dum Paulus ad Galat. 2. v. 7. & 8. ait : *Creditum eſt mihi Evangelium præputii , ſicut & Petro circumciſionis : Qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis , operatus eſt & mihi inter gentes , neutiquam* vult , quod juriſdictio diviſa fuerit inter ipſum & Petrum , aut quod ipſe tantum gentilibus , & Pe-

(f) Abulenſis in 3.Regum20. rationem afferens , cur S. Paulus antonomaſtice *Apoſtolus* vocetur , ait : *Cum diximus Apoſtolum , non exprimendo nomen , intelligitur Paulus : qui fuit excellentior in doctrina , licet non in poteſtate.*

trus Judæis tantum prædicaverit (g) ſed id duntaxat, quod ipſe a Chriſto ſpecialiter fuerit electus ad gentiles, Petrus vero ad Judæos ad Chriſtum convertendos. Quare, quando *Chryſoſtomus* in objectum Pauli locum ita commentatur, juxta verſionem *Montfauconii* Pariſinam: *Nec* (Paulus) *ſe reliquis illis* (Apoſtolis), *ſed ipſi Coryphæo* (Petro) *comparat*, *declarans*, *quod horum unusquisque parem ſortitus ſit Dignitatem*, his verbis non vult, quod Paulus ſe Petro comparaverit in primatu, ſed duntaxat in ſingulari illa prærogativa miſſionis, qua ipſe ad gentes, ſicut Petrus ad Judæos, *ſpecialiter* miſſus eſt. Ceterum non ſolum in aliis locis (h), ſed etiam in hoc ipſo loco *Chryſoſtomus* indicat primatum Petri, dum ait, Paulum non ſe comparaſſe aliis Apoſtolis, ſed eorum *Coryphæo* ſeu, ut Editio Antverpienſis an. 1614. habet, eorum *Summo*, id eſt, Capiti.

Neque dicas: Paulus ad Galat. 2. v. 11. Petro *in faciem reſtitit, quia reprehenſibilis erat*, & Petrus hanc reprehenſionem humili animo acceptavit: ergo Petrus potius Paulo, quam Paulus Petro ſubordinatus erat. R., ad hanc objectionem jam ſupra ad finem Poſitionis V. reſpondimus. Cæterum eadem objectio, ſi quid valeret, probaret, Petrum non tantum æqualem, ſed omnino inferiorem Paulo fuiſſe quod eſt contra ipſos Adverſarios, utpote qui defenderunt, aut defendunt, Petrum & Paulum conſtituere unum Caput Eccleſiæ. Denique ſi ex citato textu aliqua ipſius Petri ſubordinatio erga Paulum, fraterna correctione utentem, eruitur, ea non eſt ſub-

(g) S. *Hieronymus* in cap. 2. ad Galat. de SS. Petro & Paulo ait: *In commune hoc habebant propoſiti hi duo Principes Apoſtolorum, ut Chriſto ex cunctis gentibus Eccleſiam congregarent. Legimus enim & a S. Petro gentilem baptizatum fuiſſe Cornelium, & a Paulo in Synagoga Judæorum, Chriſtum ſæpiſſime eſſe prædicatum.*

(h) Sic homil. 9. de pœnitentia, Petrum vocat *Apoſtolorum Principem*, & homil. 87. in Joan. de Petro rit: *Os erat Apoſtolorum & Princeps: propterea & Paulus eum præter alios viſurus aſcenderat.*

ſubordinatio Petri quaſi inferioris Paulo, ſed pertinet ad ſubordinationem debitam divino ac naturali juri, vi cujus Petrus *veritati* & *rationi legitimæ*, a Paulo, licet inferiore, propoſitæ conſentire & acquieſcere tenebatur; ſicut quivis alius ſuperior aut Princeps tenetur obligationes a ſubdito ſibi propoſitas & explicatas implere, non propter ſubordinationem erga ſubditum, ſed propter Legem naturalem aut Divinam, qua etiam Superiores & Principes obſtringuntur.

II. SS. Patres ambos quidem Apoſtolos, Petrum & Paulum vocant *Præfectos Eccleſiæ*, *Romanæ Eccleſiæ Patres*, *ac Fundatores*, *Eccleſiarum Principes*, *Epiſcopos Romanos*; at nunquam vocant *duo ſuprema Eccleſiæ capita*, aut Epiſcopos Romanos non tantum quoad munus docendi, ſed etiam quoad authoritatem regendi Eccleſiam univerſalem. Quare illi honorum tituli duntaxat oſtendunt, B. Paulum æqualem fuiſſe B. Petro in ratione Apoſtolatus, non vero in primatu, ſeu poteſtate regendi univerſam Eccleſiam. Quodſi dicas, B. Paulo primatum denegari non poſſe; quia fuit Epiſcopus Romanus, prout paſſim docent S S. Patres, & oſtendit *Papebrochius* (i) Reſp. Paulum fuiſſe Epiſcopum Romanum non ordinarium, ſed *extraordinarium* (l) propter Apo-

 ſto-

(i) In exhibitione errorum Part. I. artic. 7.

(l) Nemini mirum videri debet, Paulum cum Petro eodem tempore Romanæ urbis Epiſcopatum geſſiſſe, tum, quia Apoſtoli ubique terrarum poterant exercere munus Epiſcopale, licet cum ſubordinatione ad D. Petrum; tum ac præcipue, quia Petrus initio naſcentis Eccleſiæ non incongruum, imo neceſſarium duxerat, plures pro ſola urbe Romana conſecrare Epiſcopos, *Linum*, nempe, *Cletum*, & *Clementem*, ut teſtantur S. Irenæus L. 3. adverſus hereſes c. 3. & *Tertullianus* L. de Præſcript. c. 32. qui ipſo vivente, ſed ad prædicandum Evangelium diutius abfuturo, Epiſcopalia obirent munia intra Romanam urbem, extraque illam in vicinis locis. Ceterum etiam hodie R. Pontifex per Epiſcopum Cardinalem Vicarium Romanam Eccleſiam, ut particularis eſt, adminiſtrare ſolet.

ſtolicum munus, quod jus Epiſcopale ubique terrarum omnibus Apoſtolis conferebat; Primatum vero in univerſam Eccleſiam alligatum eſſe Paſtoribus *ordinariis* Eccleſiæ Romanæ, ut poſitione VIII. oſtendemus. Ex his etiam colliges, quid reſpondendum ad textum (m) *Epiphanii.*

Urgebis: D. Paulus a Chryſoſtomo Homil. 1. de prec. *Apoſtolorum Dux.* Et Homil. 2. in Epiſt. ad Rom. *Apoſtolorum maximus.* Et Homil. 3. in Matth. *Primus omnium* nominatur. Hilarius quoque Arelatenſis eum vocat *Apoſtolorum ſupremum*, Bernardus *Principem*, alii *Coryphæum*, Florentini Patres etiam *Proto-Coryphæum*: ergo non fuit ſubjectus D. Petro. *R. I.* ex hac objectione ſequeretur, Paulum non tantum non fuiſſe ſubjectum, ſed omnino ſuperiorem Petro, quod eſt contra ipſos Adverſarios. *R. II.* omnes hos honorum titulos D. Paulo tribui non propter primatum regiminis in Eccleſia, ſed propter labores ejus Apoſtolicos, doctrinam, ærumnas pro Chriſto toleratas, in quibus præ aliis Apoſtolis effulſit. Secus *S. Chryſoſtomus*, aliique Patres alibi primatum Petri (ut ſupra vidimus) manifeſte aſſerentes, ſibi contradixiſſent; quod admitti nequit.

III. Quando R. Pontifices ſe dicunt *Succeſſores SS. Apoſtolorum Petri & Pauli*, non volunt, quod horum authoritas æquali modo in ipſos fluxerit; ſed Epiſcopalis quidem ab utroque, a Petro autem ſingulariter Dignitas primatus, prærogativa ſupremi viſibilis Capitis Eccleſiæ. Præterea notandum, hunc modum loquendi R. Pontificum (ſicut etiam, quando dicunt, fungi ſe *authoritate Beatorum Apoſtolorum Petri &*

(m) *Epiphanius* adverſus Carpocrat. hæreſ. 27. ait: *Romæ primi omnium Petrus & Paulus Apoſtoli pariter atque Epiſcopi fuerunt* &c. Et mox: *Romanorum Pontificum iſta Succeſſio eſt*: *Petrus & Paulus*, *Linus* &c.

& Pauli) non tam officii, cui ſuccedatur, quam patrocinii auctoritatem denotare, quod ad officium illud rite obeundum imploratur. Cum enim Romana Eccleſia communi SS. Petri & Pauli labore fundata, & ſanguine utriusque hujus Apoſtoli rigata fuerit, jure Pontifices iis ſcribendi formulis utriusque auxilium implorant, quamvis prædicta Eccleſia unius Petri ſuprema poteſtate gubernata fuerit. Certe alii Pontifices non Petri duntaxat & Pauli, ſed omnium Sanctorum authoritatem ſibi vendicant, ut Joannes VIII. Epiſt. 262. S. Nicolaus I. in ſententia contra Photium lata, & Alexander II. Epiſt. 9. Nec tamen ſequitur, Sanctos omnes eandem habuiſſe cum S Petro authoritatem. Denique illud quoque obſervandum, quod prædictus mos loquendi, ſcribendique ſummorum Pontificum non ſit antiquiſſimus. Nam primus, qui Decretis ſuis Pauli nomen Petro adnexuit, notatur fuiſſe *Agatho* in Anaphora ſynodica ad Imperatorem Conſtantinum, & non niſi ſub *Honorio II*, plumbo pontificio SS. Apoſtolorum capita inſculpi cæpta ſunt, cum antea nomen ſolum Pontificis gubernantis (n) præferret.

IV. Quod attinet ad veteres picturas, in quibus S. Paulus dexterum, S. Petrus vero ſiniſtrum latus occupat; inprimis hæc objectio iterum probat nimium, ſi quid probat, videlicet Paulum non tantum æqualem, ſed ſuperiorem Petro eſſe. Dein dextera pars non ſemper in Eccleſia, imo nec apud homines profanos locus fuit honoratior. In Concilio Chalcedonenſi *Dioſcorus*, licet mox damnandus, dexteram tenebat, Legati vero *S. Leonis* Papæ ſiniſtram. Atque ut multa alia præteream, in antiquis nummis Imperatores Chriſtiani occurrunt ad dextram Deipa-

(n) Vide *Franc. Xav. Piacevich* Opuſcul. de Primatu Romanæ Eccleſiæ Colloq. II. §. IV.

ræ. Veneti quoque olim, quamquam devotiſſimi D. Marco, Duces ad illius dextram ſtatuebant. Nihil ergo ex dextera Paulo interdum data inferri poteſt ad illius æqualitatem cum D. Petro comprobandam. Aliqui exiſtimant, D. Paulum ad dextram collocatum, quia eſt gentium Apoſtolus, D. Petrum autem ad ſiniſtram, quia eſt circumciſionis ſeu Judæorum Apoſtolus. Nam ita concludunt: Circumciſionis Apoſtolus eo loco ſtatuendus eſt, quo ab initio Sacrificii Miſſæ Evangelium collocamus, nempe ex parte ſiniſtra altaris; Gentium vero Magiſter in ea parte, in quam Evangelium ritu & more vetuſto Eccleſiæ transfertur; quia certum eſt, id a Judæis ad gentes translatum eſſe. Alii alias conjecturas afferunt. Præterea illud antiquitus obſervari ſolitum erat, ut cum duo ſimul incederent, ſenior & honoratior ad lævam eſſet, junior vero dextrum ipſi latus tegeret, & nonnihil anteiret in ſignum obſequii. Vide *Natal. Alexandrum* in Diſſert. IV. Hiſt. Eccleſ. Sæculi I.

POSITIO VII.

Chriſtus voluit, ut Primatus, D. Petro collatus, in omnes ejus legitimos Succeſſores tranſiret.

§. XVII.

Cum Eccleſia juxta præſtitutam ſibi a Chriſto (o) formam usque ad conſummationem Sæculi ſit duratura, & Primatus, in ea jure Divino conſtitutus, habeat *finem perpetuum* ac *indefectibilem*, qui eſt *Unitas Ecle-*

(o) Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Et Matth. cap. ult. v. ultimo: *Ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus, usque ad conſummationem Sæculi.*

Eccleſiæ (p); patet, primatum Petri eſſe privilegium non perſonæ ſolius Petri, ſed omnium ejus Succeſſorum affixum, adeoque perpetuum, & in quovis legitimo Petri Succeſſore hæreditarium. Unde veritas Catholica eſt, quod *jure Divino*, *ſeu inſtitutione Chriſti detur aliquis Succeſſor Petri in Primatu Eccleſiæ.* Confirmatur: Petrus eſt Eccleſiæ perpetuæ fundamentum perpetuum, juxta promiſſum Chriſti: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*; non autem eſt fundamentum perpetuum in propria ſemper perſona: ergo in perſona omnium Succeſſorum ſuorum. Hæc etiam eſt doctrina PP. præſertim S. *Leonis*, qui ſerm. 2. in Anniverſ. ſuæ aſſumpt. cap. 2. eleganter ait: *Sicuti permanet, quod in Chriſto Petrus credidit, ita permanet, quod in Petro Chriſtus inſtituit.* Et cap. 3. *Manet ergo diſpoſitio veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine petræ perſeverans, ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non reliquit.* Perſeverat videlicet Petrus, & vivit in Succeſſoribus ſuis. Eodem Senſu Facultas Pariſienſis an. 1542. in ſua celebri contra *Lutherum* cenſura hunc articulum 23. poſuit: *Non minus certum eſt, unum eſſe jure Divino ſummum in Eccleſia militante Pontificem, cui omnes Chriſtiani parere tenentur.* Et an. 1617. *propoſitionem Marci Antonii de Dominis*, qua primatum Romanæ Sedi quidem attribuit, ſed aliis nominibus, excluſo jure Divino, *ſchiſmaticam*, & *hæreticam* declaravit.

PQ-

(p) Demonſtrabimus hoc in Poſitione XII.

POSITIO VIII.

Romani Pontifices ſunt legitimi Petri Succeſſores.

§. XVIII.

Antequam hæc aſſertio dilucidetur, cum *Bellarmino* (q) obſervo, facta, S. Petri perſonam concernentia, quatuor eſſe, quæ cum Romanorum Pontificum in primatu Petri ſucceſſione connexionem habere poſſunt; videlicet 1. *Quod S. Petrus fuerit Romæ.* 2. *Quod Romæ etiam mortuus fuerit.* 3. *Quod ibidem fuerit Epiſcopus.* 4. *Quod Romanum Epiſcopatum, poſtquam eum ſemel ſuſcepit, nunquam mutarit.* Atque hæc omnia quidem revocant in dubium ex Acatholicis varii. Interim Bellarminus, & cum eo ceteri Catholici Theologi notant, tertium ſolum & quartum, non item primum & ſecundum requiri ad hoc, ut Romanis Epiſcopis jus Succeſſionis in primatu Petri obtigiſſe conſtituatur. Nam illud primum non requiri, planum eſt, cum multi R. Pontifices nunquam fuerint Romæ, ut *Clemens V.*, *Joannes XXII.*, *Clemens VI*, *Innocentius VI.*, qui in Galliis ordinati, ibidem ſemper manſerunt. Alterum iterum non requiri, teſtantur multi R. Pontifices, qui extra Romam mortui ſunt. Nam *Clemens I.* obiit in Ponto, *Pontianus* in Sardinia, *Agapetus* Conſtantinopoli, & alii in aliis locis. Quamvis igitur omnia quatuor ſint vera, & propriis ſuis argumentis ſingula a Polemicis & aliis (r) Scriptoribus ſolide demonſtrentur, ac opinatio, quæ S. Petri iter Romam ne-

(q) L. 2. de Rom. Pontifice cap. 1.

(r) Vide *Bellarminum* loc. cit. cap. 2. & 3. *Calmet* in Diſſert. præpoſita Epiſt. Canon. *Natalem Alex.* in Hiſtor. Eccleſ. Sæculi I. Diſſett. XIII. *Antonium Sandini* in Diſput. hiſtor. ad vitas Pontificum Diſput. III. aliosque paſſim.

negabat, adeo evidentibus exploſa ſit documentis, ut ipſorum quoque Acatholicorum peritiſſimi illud amplius non negent, nec, etſi maxime velint, negare niſi impudenter queant; ego tamen, ne litibus non neceſſariis implicer, omiſſis duobus primis Petri factis, tertium duntaxat, & quartum ſic oſtendo. Inprimis Petrum Romæ fuiſſe Epiſcopum, inde patet; quia non niſi ab Epiſcopatu, quem Romæ S. Petrus inſtituit, geſſitque, Romana Sedes *S. Petri cathedra* ſemper (s) appellata eſt, & in Romanorum Antiſtitum catalogis, quos antiquiſſimi quoque Patres, (t) in ſua opera inſeruerunt, primus ſemper deſcribitur S. Petrus, cui alii tanquam Succeſſores ſubjiciuntur. Quod autem S. Petrus Romanum Epiſcopatum nunquam mutarit, ſed ſemel ſuſceptum uſque ad mortem retinuerit, ſic probatur. Si non fuit Petrus Epiſcopus Romæ uſque ad mortem, exponant Adverſarii, ubi Petrus ſederit ab eo tempore, quo reliquit Antiochiam. Nam non manſiſſe Petrum perpetuo apud Antiochiam, fatentur ipſi Antiocheni, & ſatis id probat Eccleſiæ conſuetudo, quæ nunquam attribuit primum locum Epiſcopo Antiocheno. Et nulla Eccleſia eſt, aut fuit, quæ aſſereret, Epiſcopum ſuum fuiſſe Petrum, excepta Antiochena, & Romana. Aut an dicemus, Petrum deſerto Epiſcopatu Romano, nullius loci fuiſſe Epiſcopum? Sed hoc, quo fundamento aſſeri poſſit, non video; præſertim cum in contrarium ſtet perpetua traditio Eccleſiaſtica, & firma omnium Chriſtianorum perſuaſio per quatuordecim Sæcula uſque ad *Marſilium Patavinum* a Joanne

(s) Ita eam appellat S. *Cyprianus* L. 1. Epiſt. 3. ad Cornelium. *Optatus* L. 2. contra Parmenianum. S. *Hieronymus* in 1. Epiſt. ad Damaſum, aliique.

(t) *Irenæus* L. 3. c. 3. *Epiphanius* hæreſ. 27. *Auguſtinus* Epiſt. 264. alias 165.

ne XXII. an. 1327. ſpeciali decreto ob impia & ſchismatica ſcripta damnatum, cujus errorem poſtea adoptarunt *Wicleffus*, *Lutherus*, aliique Novatores. Nam ante illum Marſilium conſtans erat apud Chriſtianos omnium ſæculorum perſuaſio, D. Petrum Romæ fuiſſe Epiſcopum usque ad mortem, nec ullus unquam veterum Hæreſiarcharum id negaſſe legitur: imo idipſum, veritate, rei convicti, fatentur complures ex doctiſſimis Proteſtantium Criticis, *Hugo Grotius* in 1. Petri 5. v. 13.: *Jacobus Uſſerius* ad an. Chriſti 66. 67. *Hammondus* Differt. 5. de Epiſcopis & Presbyt. *Charnier Panſtrat.* Tom. 2. L. 13. c. 4. *Blondellus* de primatu &c. pag. 14. 19. *Franc. Junius*, *Scaliger*, *Caſaubonus*, *Petrus Mollinæus*, *Dodwellus*, *Cave &c.* proh! grandia inter Proteſtantes nomina! Præ ceteris autem commemorari meretur *Pearſonius*, qui quantumvis Acatholicus, tamen Oper. poſthum. edit. Londin. pag. 27. & 31. non ſolum affirmavit, ſed etiam demonſtravit, nunquam apud antiquos dubitatum fuiſſe, quin S. Petrus Romanam Eccleſiam fundarit & Romani Pontifices eidem in Epiſcopatu ſucceſſerint. Fatentur idipſum etiam Græci Schismatici; ſolumque negant, Romanum Epiſcopum Petro ſuccedere in præfectura totius Eccleſiæ Catholicæ, ſaltem jure Divino. Aiunt enim, ipſi poſtea ex Conciliorum Decretis conceſſum fuiſſe, ut primus Epiſcoporum eſſet, primus ſederet in Conciliis, primusque ſententiam diceret: non tamen, ut ceteris omnibus imperaret. Et ſic primatum aliquem *honoris*, non tamen jurisdictionis, eumque non jure Divino, ſed *Eccleſiaſtico* duntaxat obtentum, Romano Pontifici non denegant. Ita *Nilus* Theſſalonicenſis Epiſcopus in L. adverſus primatum Papæ. Contra vero Catholici omnes defendunt, Romanum Pontificem Petro ſuccedere non tantum in particulari *Epiſcopatu urbis Romanæ* (quod nemo, niſi emoti cerebri, vel perfrictæ fron-

frontis homo inficiari poteſt), ſed in regimine quoque, ſive univerſali *Pontificatu totius Eccleſiæ*: quod ulterius ſic probant: Alicui certæ Sedi debuit primatus Petri, id eſt, univerſalis pontificatus, ſive regimen totius Eccleſiæ affigi. Quamvis enim hic primatus nullam particularem Sedem epiſcopalem, cui ipſe alligaretur, per ſe poſtularit: id tamen certa requirebat in hoc primatu ſucceſſio, quæ in bonum Eccleſiæ perſeverare, facileque expediri poſſet, & deberet, ut probe obſervavit *Boſſuetus* (u) dicens: *Petri Succeſſores — de cœlo lapſuri non ſunt; neque ad creandos eos, ubi opus fuerit, totam Eccleſiam citari, commoverique oportebit. Neceſſe ergo eſt, aliqua ut ſit Eccleſiæ Catholicæ pars, ex qua exiſtant, aliique aliis ſubrogentur. Quare ita conſtituti ſunt, ut non modo univerſæ Eccleſiæ præſint, ſed, quemadmodum ceteri Epiſcopi, peculiarem habeant, quam regant, Eccleſiam nempe Romanam, quam Petrus fundarit, & rexerit.* Id etiam neceſſe fuit, ne vagus, incertusque eſſet ſummi Pontificis locus, quo in urgentibus Eccleſiæ neceſſitatibus ex remotiſſimis quoque regionibus tute confugeretur: ſi enim Sedes ejus vaga eſſet, & incerta, & modo huc, modo illuc in longinquas & diſſitas orbis partes ſummi Pontifices diſcurrerent, neſciretur, quo dirigendæ eſſent literæ; quod Chriſtianæ Reipublicæ plurimum detrimenti attuliſſet. Hinc Petrus neceſſario elegit particularem aliquem Epiſcopatum, cui Primatis perſona alligaretur. Fuit ille quidem Antiochenæ Sedis Fundator & Rector aliquot annos: ſed cum inde Romam tranſierit huc primatum a ſua perſona indiviſum tranſtulit, & eundem Epiſcopatum Romanum usque ad mortem ſuam re-

(u) In *Defenſione declarationis Cleri Gallicani* L. 10. al. 15. c. 5.

retinens, primatum ad Succeſſores ſuos in eadem Sede transmiſit.

Hanc prærogativam primatus in Romanis Epiſcopis ſemper agnovere Patres (x) & ipſimet Imperatores (z). Hanc Epiſcopi Romani conſtanter exercuerunt approbante Eccleſia Catholica, ut omnis hiſtoria Eccleſiaſtica docet. Hanc laudarunt Concilia (a) & expreſſe definivit Concilium Florentinum, conſentientibus Græcis & Latinis in definitione Fidei ſic pronuntians: *Diffinimus, ſanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere Primatum; & ipſum Pontificem Romanum Succeſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiusque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere; & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi ac gubernandi univerſalem Eccleſiam a Domino noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe: quemadmodum etiam in geſtis œcumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur.*

Ubi

(x) Præter multos alios *Bellarminus* L. 2. de R. Pontif. c. 15. & 16. horum Patrum feriem, & verba recenſet. Sic, ut alios taceam, S. *Hieronymus* in Epiſt. ad Damaſum de nomine Hypoſtaſis, ita hunc Pontificem alloquitur: *Cum Succeſſore Piſcatoris, & diſcipulo Crucis loquor. Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt, cathedræ Petri communione conſocior. Super illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt &c.*

(z) Sic *Valentinianus* in Epiſt. ad *Theodoſium* ait: *Beatiſſimus Romæ Civitatis Epiſcopus, cui Principatum Sacerdotii omnis antiquitas contulit*, apud Harduinum Tom. II. col. 35. *Juſtinianus* in Epiſt. ad *Joannem* Papam; relata in Lege x. Cod. de SS. Trinitate, eum vocat, *Caput omnium ſanctarum Eccleſiarum.*

(a) Concilium Nicænum I. can. 6. qualis refertur Act. 16. Concilii Chalcedonenſis: *Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum.* Conſtantinopolitanum I can. 2. Epheſinum Act. 2.

Ubi notes, velim, Concilium Florentinum hodie a Catholicis omnibus, etiam Gallis, inter *œcumenica* numerari, ſaltem usque ad Seſſioem vigeſimam quintam, in qua Unio cum Græcis confecta, definitioque Fidei edita eſt; prout teſtantur *Tournely* Tom. 2. de Eccleſia pag. 310., & ipſe *Natalis Alex.* Hiſt. Eccleſ. Tom. 8. Differt. 10. in Sæcul. XV. & XVI. art. 1. Unde in omnibus (b) Gallicis Conciliorum Collectionibus Florentinum ſuum inter *Generalia* locum obtinet.

Neque obſtat, quod mox recenſita Concilii Florentini definitio de primatu R. Pontificis in Tridentino repetita confirmataque non fuerit, ob repugnantiam Gallorum, ut refert Pallavicinus L. 19. 20. 21. non enim ideo repugnabant Galli, quod primatum R. Pontificis non agnoſcerent; ſed quia timebant, ne verba illa (*plenam poteſtatem* paſcendi, regendi & gubernandi *univerſalem Eccleſiam*) ab aliquibus ita acciperentur, quaſi Pontifex ſupremam authoritatem etiam in Eccleſiam, generali in Concilio congregatam, obtineret, adeoque Papa eſſet ſupra Concilium generale. Ceteri autem Patres Tridentini tandem acquievere Gallis, & Pontifex ipſe annuit, ut canon, qui in confirmationem primatus Pontificii a Florentino Concilio afferti paratus erat, ſupprimeretur: non ob dubium de authoritate Florentinæ Synodi, ac definitionis ab illa editæ; ſed pacis ſtudio, & quia novus hac de re Canon neceſſarius non erat, nec *Ferdinando* Imperatori videbatur in iis circumſtantiis opportunus. Ceterum ipſe Cardinalis Lotharingus, qui maxime obſtiterat in Tridentino, ne Pontifex in aliqua Concilii definitione diceretur habere plenam poteſtatem gubernandi univer-

D 2 ſa-

(b) In Regia Collectione anni 1644. in Labbeana, Harduini; in Patrum Congregationis S. Mauri opere inſcripto *L'Art. de Verifier les Dates*, pag. 336. primæ Edit. In Dictionario portatili Conciliorum an. 1758. Pariſiis edito pag 246.

ſalem Eccleſiam, in acclamationibus votisque, Synodo Tridentina jam abſoluta, factis Pium IV. Papam *ſanctæ univerſalis Eccleſiæ Pontificem* appellavit.

§. XIX.

Ut hactenus dicta melius intelligantur, obſervo cum *Bellarmino* L. 2. de R. Pontif. c. 12., Chriſtum Matth. 16. & Joan. 21., ubi Petrum conſtituit univerſalis Eccleſiæ Paſtorem, ſatis declaraſſe quidem, quod Petro in hoc regimine ſemper *aliquis debeat ſuccedere*; quia Pontificatum iſtum inſtituit, ut officium ordinarium, & perpetuo duraturum, usque ad finem mundi, ut §. XVII. probavimus. Non tamen determinavit in illis Scripturæ locis, *quis Petro ſuccedere debeat in hoc officio:* unde videtur *ibi ſaltem* (c) Chriſtus illud determinandum reliquiſſe ipſius Petri, vel certe Eccleſiæ arbitrio, ſi Petrus ipſe nihil determinaſſet. Quodſi ergo Petrus nullam particularem Sedem ſibi unquam elegiſſet, ut fecit primis annis; nec ante mortem ſuam determinaſſet, cujus Sedis Epiſcopus ſibi deberet in univerſali Eccleſiæ regimine ſuccedere: tunc

(c) Quamvis Pontificatus Petro fuerit initio collatus ſine alligatione ad certum locum; & hinc ipſe primo Sedem Antiochenam elegerit; tamen poſtea juxta non paucorum opinionem ex ſpeciali inſpiratione Dei, imo & juſſu Chriſti Petrus Sedem ſuam Romæ ultimo fixit, ac retinuit ad mortem usque. Sic S. *Marcellus* Papa in Epiſt. ad Antiochenos ſcribit, Petrum Domino jubente veniſſe Romam; & S. *Ambroſius* in oratione adverſus *Auxentium*, & *Athanaſius* in Apologia pro fuga ſua dicunt, Petrum Chriſti juſſu martyrium Romæ pertuliſſe. Unde non eſt improbabile, Dominum etiam aperte juſſiſſe, ut Sedem ſuam Petrus ita figeret Romæ, ut Romanus Epiſcopus abſolute ei ſuccederet. Sed quidquid de hoc ſit, ſaltem iſta ratio ſucceſſionis non eſt ex prima inſtitutione Pontificatus, quæ in Evangelio legitur.

tunc moriente Petro Eccleſia debuiſſet, & quidem ex voluntate Chriſti, Epiſcopum aliquem in ſupremum Pontificem eligere. Et licet hoc caſu quemlibet eligere potuiſſet, videtur tamen debuiſſe propter rationes a nobis præcedente paragrapho XVIII. allatas determinare illam Sedem, cujus deinceps Antiſtites Petro ſucceſſuri eſſent. Si vero Petrus Sedem Antiochenam a ſe primo electam, ſemper retinuiſſet usque ad mortem; tunc Antiochenus Epiſcopus, non autem Romanus, Petro in ſupremo etiam Pontificatu ſucceſſiſſet: ſaltem niſi Petrus Sedem aliam pro ſupremis Pontificibus, ſibi in univerſalis Eccleſiæ regimine ſucceſſuris, determinaſſet. Quia vero Petrus cathedram Antiochenam reliquit, & in Romana novam fixit Sedem, quam etiam tenuit ad mortem usque; inde factum eſt, ut ei in ſupremo Pontificatu non jam Antiochenus, ſed Romanus Epiſcopus ſuccederet.

Dices: Ergo, quod Romanus potius, quam alius Epiſcopus, Petro in primatu ſuccedat, id præciſe *ex voluntate factoque ipſius Petri* originem habuit; non autem ex *voluntate Chriſti & jure Divino*: ergo primatus R. Pontificum non eſt ex jure Divino, ſed ex inſtitutione humana. R. Omitto antecedens, & nego conſ. Licet enim Chriſtus (quod tamen controverſum eſt) ſemper Petri arbitrio permiſiſſet, ubi vellet, Sedem eligere, & ſtabilem figere: tamen ex dictis §. præcedente voluiſſet, ut Epiſcopus illius loci, ubi Petrus ultimo Sedem fixiſſet, ei morienti ſuccederet in Pontificatu; ſaltem niſi Petrus ipſe Sedem aliam pro Pontificibus ſibi ſucceſſuris determinaret: quod tamen non fecit. Et hinc Sede Romana ſemel a Petro, tanquam ſtabili & ultima ſua Sede electa, atque etiam pro ſucceſſuris ſibi Pontificibus conſtituta, Romanus Epiſcopus non ex voluntate ſolius Petri, ſed

ipſius etiam Chriſti, & jure Divino jam eidem in pontificatu ſuccedit.

Sed *Quæres*: An primatus, ſicut præciſe *ex voluntate, facto que hominis*, nempe Petri annexus eſt Sedi Romanæ, ita nunc poſſit etiam *ex diſpoſitione humana*, nempe Eccleſiæ, iterum ab ea ſeparari, & transferri in aliam Sedem Epiſcopalem e. g. Pariſienſem? Rdeo negative. Expreſſe etiam hoc negat *Benedictus XIV*. L. 2. de Synodo Diæceſana cap. 1. num. 1. ita loquens: „Cum -- Petrus ſuam Sedem Romæ fixerit -- & in ea „martyrio coronatus glorioſe obierit, ſive id evenerit „ex Divino præcepto, ſeu expreſſa revelatione, ipſi „Petro ſpecialiter a Deo facta, ſive ex ſola voluntate „Petri, licet divinitus inſpirata; inde factum eſt, ut „ſupremi pontificatus prærogativa ita inſita manſerit „Sedi Romanæ, ut qui in hac Petro ſuccedit, neceſ„ſario ſuccedat in totius Eccleſiæ primatu Petro -- „quemadmodum bene explicant Card. Bellarminus „L. 2. *de Rom. Pontif.* c. 12. Suarez *in defenſione Fidei* „*adv. Anglicanæ Sectæ Error.* L. 1. c. 5. n. 4. & L. 3. „c. 13. n. 12. Petrus de Marca *in Diſſert.* 1. *de ſingu*„*lari Primatu Petri num.* 20. -- -- Quamvis itaque poſ„ſit in aliquo ſenſu dici, ſupremam Eccleſiæ monar„chiam, jure tantum humano, eſſe annexam Sedi „Romanæ, quia nimirum utriusque Unio, nexus & „alligatio ortum habuit ex facto Petri, attamen non „videtur poſſe ſuſtineri illorum opinio, qui aſſerue„runt, præfatam annexionem ita eſſe de jure huma„no, ut poſſit ab Eccleſia diſſolvi, & una ab altera „ſeparari; etenim poſito, quod Petrus ſuam Sedem „ſtabiliter Romæ collocaverit, & Romanam regens „Eccleſiam obierit, nullus, qui Epiſcopus Romanus „non ſit, poteſt dici verus Petri Succeſſor, ac propte„rea nunquam ad eum referri poſſunt verba Chriſti „Domini: *Paſce oves meas. Joan.* 21., quibus univer„ſalis Eccleſiæ curam Petro, ejusque Succeſſoribus com-

„commiſit. Quare jure & merito ejuſmodi pauco„rum opinionem refellunt, & cenſura perſtringunt „Melchior Canus *de locis Theol. L.* 6. *c.* 4. Gregorius „de Valentia *de controv. Fidei L.* 7. *c.* 12. aliique non „pauci Theologi." Hucusque Benedictus XIV. (d).

At *inquies*: Si annexio primatus jure humano diſſolvi non poteſt, quare eandem diſſolverunt ipſimet Romani Pontifices, Sedem pontificiam Roma transferendo Avenionem? Rdeo: aliud eſt, quod defuncto Benedicto XI. Clemens V. relicta Roma Avenionem an. 1305 diſceſſerit, eamque incolere cœperit, cujus exemplum quinque ſubſequentes Pontifices ſecuti fuere: & aliud, quod Avenionem primatum tranſtulerit. Neque enim hi Pontifices ob corporalem ſuam a Sede Romana abſentiam primatum Roma Avenionem transferre voluerunt; ſed erant & manebant Epiſcopi Romani juxta illud proverbium: *ubi Papa, ibi Roma*; ac Eccleſiam particularem Romanam per Vicarium generalem regebant; ſicut hodie R. Pontifices eam regere ſolent per Epiſcopum Cardinalem, Vicarium ſuum, Ceterum nos cum Benedicto XIV. id ſolum negamus, annexionem primatus, R. Sedi factam

(d) Ex dictis hæc tria Colliges. I. *De jure Divino & ex inſtitutione Chriſti eſt, quod, quicunque Petro ſuccedit, ſit Caput Eccleſiæ univerſalis, ſeu habeat Primatum in univerſam Eccleſiam.*

II. *De jure Divino & ex inſtitutione Chriſti eſt, quod R. Pontifex hunc Primatum habeat.* Nam in præſenti rerum ſtatu, in quo Petrus pro ultima ſua Sede elegit Romam, voluntas Chriſti eſt, ut Succeſſores Petri in hac Sede Romana etiam ſint ejus Succeſſores in Primatu.

III. *Dubium eſt, utrum ſit juris Divini, ſeu ex inſtitutione Chriſti, quod Epiſcopus Romanus, quia Epiſcopus Romanus eſt, ſit Petri Succeſſor, & Primatum in univerſam Eccleſiam habeat*; quia eſt dubium, utrum Petrus ex juſſu Chriſti, vel ex voluntate ſua humana Romam pro Sede ultima elegerit.

ctam ab Eccleſia, *prout a Pontifice ſejuncta* ſpectatur, diſſolvi poſſe. Num autem id fieri poſſit voluntate *ipſorum Pontificum*, ſi Romanam Sedem deferentes, aliam Sedem perpetuo retinendam eligerent, in quam S. Petri Succeſſionem & primatum transferrent, non eſt facile decidendum. Certe cum Romana Sedes per tot ſæcula in poſſeſſione ſit ejusdem primatus; non expediret hunc alio transferre, ne magna in Eccleſiis oriretur confuſio. Alligatio enim primatus alicui particulari Sedi ea de cauſa fuit quodammodo neceſſaria, ne (ut §. XVIII. diximus) vagus incertusque eſſet ſummi Pontificis locus, quo in graviſſimis Eccleſiæ neceſſitatibus ex remotis quoque regionibus tuto confugeretur. Unde cum a tot ſæculis omnes Eccleſiæ agnoſcant, Romanam Sedem illam eſſe, quæ Petri Succeſſionem & primatum obtinet; non ſine maxima & evidenti neceſſitate hanc Succeſſionem cum primatu ad aliam Sedem transferre liceret. Id tamen Eccleſia, ſi ſeparatim a ſummo Pontifice conſideretur, nec licite, nec valide unquam faceret; quia, poſtquam S. Petrus Sedem Romanam usque ad obitum ſuum retinuit, primatus nulla de cauſa alio transferri poteſt, niſi Pontifex ipſe ante mortem Sedem ſuam, cum primatu ſibi annexo, alio tranſtuliſſet. Sede enim ejus nondum translata, ubicunque ille obiret, ſive Mediolani, ſive Neapoli, ſive Pariſiis &c., ſemper Sedes Petri, ſeu Romanus Epiſcopatus vacaret, & qui in demortui locum eſſet electus, is non Mediolanenſis, non Neapolitanus, non Pariſienſis, ſed Romanus Epiſcopus eſſet S. Petri Succeſſor, in quem ex inſtitutione Chriſti, cui derogare nequit Eccleſia, primitus jure Succeſſionis tranſiſſet.

§. XX.

Oppones I. R. Pontifices antiqua formula *Petri Vicarii* a multis appellantur, ut in can.: *Ego Ludovicus*

cus diſt. 63. ergo non habent eundem primatum, quem habuit Petrus, nec proprie ſunt ejus Succeſſores, ſed inferiorem Petro gradum ac dignitatem obtinent. Dein a SS. Patribus, nominatim a S. *Cypriano* Epiſt. 27. & 55. Epiſcopi vocantur *Petri Succeſſores*, & *Vicarii Chriſti*: ergo non ſoli R. Pontifices ſunt legitimi Succeſſores D. Petri. Rdeo. *ad primum*: Si uno in loco Romanus Pontifex *Petri Vicarius* dicitur, in ſexcentis aliis locis dicitur ejusdem *Succeſſor.* Ceterum *Vicarii* nomen apud Veteres paſſim pro *Succeſſore alicujus* accipitur, qui æqualem ei, cui ſuccedit, dignitatem & authoritatem jure Succeſſionis obtinet. Sic S. *Cyprianus* Epiſt. 67. al. 68. ad Stephanum Papam, memoratis ejus Prædeceſſoribus Cornelio & Lucio, *Vicarius*, inquit, *& Succeſſor eorum factus es.* S. *Gregorius* L. 1. Epiſt. 4. ad Mediolanenſes, electum Mediolanenſis Sedis Epiſcopum *Vicarium S. Ambroſii* nuncupat. Et, ut alia omittam exempla in diplomate Ottonis apud Ughellum T. 5. Ital. Sac. p. 66. Hildericus Epiſcopus Veronenſis dicitur *Vicarius S. Zenonis*: quos omnes prædeceſſoribus ſuis æquali dignitate & authoritate ſucceſſiſſe exploratum eſt. *Vicarii* nimirum hi omnes eo ſenſu appellati ſunt, quod eorum, quibus ſucceſſerunt, vicem gererent, perinde acſi eximii illi prædeceſſores in ipſis etiamnum viverent. Sic etiam R. Pontifices *S. Petri Vicarii* dicti ſunt, quia ſuccedentes S. Petro ejus vices gerunt, ita ut S. Petrus in ipſis adhuc vivere, & primatu ſibi tradito toti Eccleſiæ præeſſe videatur. Unde Philippus Romanæ Eccleſiæ presbyter, Epheſini Concilii Patribus Action. 3. affirmare non dubitavit: *Nulli dubium, imo ſæculis omnibus notum, quod S. Petrus ad hoc uſque tempus & ſemper in ſuis Succeſſoribus vivit.* Ita pariter loquuntur S Petrus Chryſologus in epiſt. ad Eutychem. n. 2. Et S. Leo Serm. 2. al. 1. de Anniverſ. Aſſumptionis ſuæ c. 3. & 4. Quia tamen S. Petrus

 non

non amplius proprie ſungitur munere paſtorali, ſed meritis ac precibus ſuis Eccleſiam regit, & protegit: impropriæ ſunt illæ locutiones, & ſolum ob reverentiam B. Petri aliquando uſurpantur.

Ad 2dum dico: Si Patres aliqui Epiſcopos vocant *Succeſſores Petri*, hoc non ſic intelligendum, ac ſi æqualem cum Petro authoritatem & poteſtatem habeant; ſed duntaxat, quod in parte aliqua Chriſtiani orbis, ſeu in Diœceſi particulari ſuccedant Petro in regimine, quod is habuit in univerſam Eccleſiam, & quidem, quod ſuccedant non niſi cum ſubordinatione ad legitimos Petri Succeſſores; ſicut Apoſtoli (e) omnesque Epiſcopi vivente Petro exiſtentes, Petro ſubordinati erant. Aut etiam ea de cauſa *Petri Succeſſores* vocantur Epiſcopi; quia Petrus quodammodo fons & origo eſt Eccleſiaſtici Ordinis, nec non poteſtatis, in omnes Epiſcopos ſuo modo derivatæ. Similiter vocantur Epiſcopi *Vicarii Chriſti* non æquo ſed diverſo & minori jure cum Romano Pontifice; ſiquidem Epiſcopi vices gerunt Chriſti in particulari quadam Eccleſia; Pontifex Romanus in Eccleſia univerſa.

Opp. II. In Sede Romana non unus vitioſus Pontifex imo ſæculo IX. etiam fœmina ſub nomine *Joanna Papiſſa* ſedit; & Romæ non ſolum inter Laicos, ſed inter ipſos etiam Eccleſiæ proceres ſæpe dabantur homines Chriſto & Chriſtianæ Legi maxime adverſantes. Atqui non eſt veriſimile, quod Chriſtus voluerit, ejusmodi Pontifices ſuccedere Petro in primatu, & eſſe ſuæ Eccleſiæ Caput, aut quod talem urbem pro Sede ſui Vicarii elegerit. Rdeo: Hoc ipſum argumentum confirmat potius, quam evertit primatum Romani Pontificis, oſtenditque vigilantiam Di-

(e) Vid. ſupra §. XI. & ſequentes.

Divinæ providentiæ pro Eccleſia Romana, quatenus in ejusmodi turbulentis temporibus Petri navicula ſemper ſalva permanſit, ne unico quidem ad clavum ſedente, qui aliquam profeſſus hæreſin edici queat. Imo ſi ante minus caute ambularunt, conſcenſa Petri cathedra ſubito a Spiritu S. immutati fortes extiterunt adverſus Eccleſiæ hoſtes, ut vel in uno *Vigilio* Pontifice, auxilio Theodoræ Imperatoris electo, & poſtea tamen acerrimo Eutychianæ hæreſeos vindice, res elucet. Quod de *Joanna Papiſſa* dicitur, putida omnino fabula eſt, ab eruditiſſimis Viri jam dudum exploſa. Porro cum ceterorum Apoſtolorum Sedes videamus jam paſſim ab infidelibus occupari, & ſolam Romam, quæ Petri Sedes fuerat, ad hanc usque diem in ditione eſſe Chriſtianorum, quæ tamen ob tot ſcelera (ut Adverſarii putant) deleri cum ceteris meruiſſet: quid aliud cogitare poſſumus, quam veraciſſimum eſſe Chriſtum, qui tot & tantis laceſſitus injuriis, promiſſa tamen ſervat, atque (ut ipſi volunt) vel immeritis? Fides per Petrum prædicata Romæ, non defecit hactenus. Et permanet adhuc in Epiſcopis Romanis Eccleſiæ vera ſucceſſio, quæ a Petro ſumpſit exordium, cujus ipſe velut ſaxeum, & ſolidum a Chriſto fundamentum erat conſtitutus.

POSITIO IX.

Itaque Chriſtus voluit, ut quivis R. Pontifex, legitime electus, eſſet verus ſuus in terris Vicarius, cum poteſtate & obligatione docendi, regendique totam Eccleſiam.

§. XXI.

Hæc Poſitio nihil aliud eſt, quam magis diſtincta explicatio præcedentis. Cum enim R. Pontifices ſint S. Petri Succeſſores non tantum in particulari Epi-

piſcopatu Romano, ſed etiam in primatu Juriſdictionis in univerſam Eccleſiam, ut poſitione præcedente oſtendimus; hoc ipſo S. Petro ſuccedunt in poteſtate & obligatione docendi regendique totam Eccleſiam.

At *Quæres*: Quid tandem ſit iſte primatus juriſdictionis, aut in quibus prærogativis, juribus, & facultatibus ſit conſtituendus? R. B. Petrum, aut ejus Succeſſorem R. Pontificem jure divino habere primatum Juriſdictionis, idem ſonat apud Catholicos Theologos, ac B Petrum, ejusque Succeſſorem R. Pontificem a Chriſto Domino conſtitutum eſſe *Caput viſibile totius Eccleſiæ*, & *Vicarium Chriſti*. Primatus autem iſte juriſdictionis, ut hic interim lites omnes cum *Catholicis* Doctoribus vitemus, ſaltem in his collocari debet. I. Quod Romano Pontifici, tanquam Capiti, omnium Eccleſiarum ſollicitudo incumbat, ita, ut ipſius ſit,invigilare canonum obſervantiæ & executioni per univerſum orbem. Chriſtianum, rebelles & contumaces pœnis canonicis coercendo. II. Quod Canones & Leges, ad Fidem & Mores pertinentes, a Romano Pontifice latæ, pertineant ad omnes & ſingulas Eccleſias totius orbis Catholici, omnesque in conſcientia teneantur illis obtemperare, ſaltem ſi Eccleſia non reclamat, nec contradicit. III. Quod in controverſiis Fidei ac Religionis præcipuæ ſint partes Romani Pontificis, neque quidquam in Eccleſia magni momenti definiri poſſit, quin ad ipſum referatur: cum ille ſit primarius Judex, dignitate & autoritate præcipuus, ad quem majores cauſæ Eccleſiæ referendæ ſunt. IV. Quod R. Pontifex diſpenſare poſſit a Legibus, etiam a Concilio Generali latis, ſaltem juxta regulas diſpenſationum a Conciliis præſcriptas, & in iis caſibus, in quibus ipſum Concilium diſpenſaret. V. Quod Romanus Pontifex jus habeat convocandi Concilia generalia, eisque vel per ſe, vel per ſuos Legatos præſidendi. Dixi, primatum

tùm *Saltem* in his collocandum eſſe, Sunt enim adhuc vària alia jura & prærogativæ, quæ, an R. Pontifici ratione primatus a Chriſto collati, adeoque ex inſtitutione divina competant, ipſimet Doctores Catholici inter ſe litigant. Anguſtiæ hujus Opuſculi non permittunt, de ſingulis illarum examen inſtituere. Unicam duntaxat, eamque præcipuam in 2da Sectione examinabimus, nimirum, utrum ad rationem primatns pertineat, ut R. Pontifex authoritatem habeat ſupra omnia Concilia, utque idem ſe ſolo in rebus Fidei & Morum ſit infallibilis. Verum cum iſta ab Eccleſia nondum perſpicue definita fuerint, nosque in præſenti prima Sectione cum ſolis Sectariis & Schismaticis manus conferamus, naturam primatus jurisdictionis interim per particulam *ſaltem* ita limitavimus, ut nulli Theologorum Catholicorum diſplicere poſſit.

Illud duntaxat addo, ex dictis patere, quod primatus Petri & R. Pontificum non ſit primatus *honoris* tantum, aut meri *ordinis* (f) ſed *jurisdictionis*, pollens po-

(f) *Primatus ordinis* non ille tantum intelligitur, quo quis mera honoris prærogativa donatus, omni omnino jure careat; Sed ille etiam hoc loco intelligendus eſt, quo in publicis negotiis nullum jus, niſi in materia meri ordinis, cuipiam tribuitur; unde hoc primatu inſignitus præter præcipuum honoris locum ad quædam tantummodo meri ordinis propria jus habet. Ita in omni Republica, in qua jurisdictio *penes omnes Patres* reſidet, uni tamen primatus ordinis deferri ſolet, vi cujus ille non tantum in digniore loco primus ſedet, primus nominatur, primus dicit ſententiam, quæ prioritas ad merum honorem pertinet; verum etiam pro jure ſuo Senatum indicere, referre de negotiis, rogare ſententias, & conſultando, monendo, hortando totam actionem regere ſolet: hæc tamen jura omnia primatum meri ordinis non excedunt. Certe, ſi talem duntaxat primatum R. Pontificis adſtruerent Catholici, nulla eis, vel admodum levis cum ſectariis & Schismaticis eſſet contentio.

poteſtate Leges ferendi pro tota Eccleſia, & in Fideles ſubditos exercendi vim directivam & coactivam.

POSITIO X.

Romanus Pontifex Primatum habet, non ex diſpoſitione Eccleſiæ, aut gratia Laicorum Principum, ſed ex inſtitutioae Chriſti, ſeu jure Divino.

§. XXII.

Cum enim Petrus non jure humano, ſed divino, nimirum immediate ab ipſo Chriſto (g) primatum acceperit; & hic primatus jure divino tranſeat in Romanos Pontifices, tanquam legitimos Petri Succeſſores (h): evidens eſt, hos non ex diſpoſitione Eccleſiæ, vel gratia Principum Laicorum, ſed ex inſtitutione Chriſti & jure Divino primatum habere. Itaque hi Petri Succeſſores, ab hominibus legitime electi, accipiunt claves regni cælorum (quæ poſt mortem cujuslibet Pontificis ſemper manent in manibus Chriſti, uſque ad electioncm novi), has, inquam, claves accipiunt illi immediate ab ipſomet Chriſto: non quidem traditione nova; ſed vi inſtitutionis antiquæ, qua omnibus Petri Succeſſoribus, legitime electis, promiſſa fuit ſuprema clavium poteſtas.

§. XXIII.

Joannes Wicleff, *Joannes Huſs*, *Lutherus*, *Calvinus*, eorumque ſequaces ajunt, Romanum Pontificem ab Imperatoribus vel Regibus Chriſtianis (i) obtinuiſſe primatum, principatumque ſuum Eccleſia-

(g) Vide ſupra Poſitionem IV.
(h) Vide Poſitiones VII VIII. IX.
(i) Vide Bellarminum L. 2. de R. Pontif. c. 17.

ſiaſticum. Sed quis Imperatorum, aut Regum hanc ei poteſtatem dedit, vel dare potuit? *Pipinus*, inquiunt, & *Carolus M.* Pontifici autoritatem tribuerunt in Gallos & Germanos, *Phocas* Imperator vero in Græcos. At conſtat, Pontifici Romano in Spiritualibus ſubjectos fuiſſe Gallos & Germanos ante Pipini, Caroliqne tempora, & Græcos ante imperium Phocæ; ut patet vel ex ſolis teſtimoniis Patrum Græcorum & Latinorum, diu ante tempora Pipini, Caroli M. & Phocæ florentium. Neque tres iſti Principes potuiſſent R. Pontifici *omnes* orbis Chriſtiani Epiſcopos ſubiicere. Quodſi ab ipſius *Conſtantini M.* ſanctione, quæ habetur in canon. *Conſtantinus* diſt 96. primatum Pontificis repetas, ubi hic Imperator inducitur ita loquens: *Sancimus, ut R. Pontifex principatum teneat ſuper omnes totius orbis Eccleſias*, prodis tuam ignorantiám, cum hunc canonem, & edictum hoc atque donationem Conſtantini jam paſſim Eruditi, ipſique Lutherani & Calviniſtæ ſuppoſititium eſſe contendant. Ceterum non diffitemur, quosdam Imperatores editis etiam Conſtitutionibus primatum R. Pontificis *declaraſſe*, ſed *non inſtituiſſe.* Sic *Phocas*, ut faſtum Patriarcharum Conſtantinopolitanorum deprimeret, qui ſe *Patriarchas univerſales* ſeu *oecumenicos* ſcribebant, & nominabant, contra omne jus & fas; declaravit, *Romanam Eccleſiam Caput eſſe omnium Eccleſiarum*; proinde Conſtantinopolitanum Epiſcopum non eſſe Epiſcopum univerſalem, ſed particularem, & ſubjectum Apoſtolicæ Sedi.

Cum enim excommunicationes, quas in prædictos Patriarchas tulerant *Pelagius* & *Gregorius*, Romani Pontifices, non potuerint frangere eorum obſtinationem, viſum eſt Imperatori bonum, ut ipſe, quem græci magis timebant, ſe interponeret.

Olim imperatores *electionem* quoque Pontificis confirmare ſolebant; ſed per hanc electionis confirma

mationem electo nullam *poteſtatem* ſpiritualem tribuebant; ſicut eandem non tribuunt, nec tribuerunt Cardinales eligentes Pontificem, vel alii Electores, qui olim fuere. Deſignant illi quidem perſonam: ſed ei Chriſtus immediate omnem poteſtatem autoritatemque Pontificiam tribuit; quam Cardinales eidem nec dare, nec augere, vel minuere, nec auferre poſſunt.

§. XXIV.

Græci Schiſmatici contendunt, Romano Pontifici primatum quendam, ſed honoris tantum & ordinis, conceſſum fuiſſe a Generalibus Conciliis, adeoque jure tantum humano. Sed a quibus Conciliis generalibus? Cum primum omnium, ſcilicet Nicænum I. canone ſexto ſecundum tenorem (l), quo hic canon in Concilio Chalcedonenſi a *Paſchaſino* R. Pontificis Legato lectus eſt, jam dixerit: *Eccleſia Romana ſemper habuit* (non, ut Quesnellus in Codice Oxonienſi a ſe edito poſuit, *habeat*) *Primatum.* Ceterum dum Concilia primatum Romanæ Sedi tribuunt, hunc non

(l) Canon. VI. Concilii Nicæni I. in ejuſdem Actis hodie quidem his verbis legitur: *Antiqua conſuetudo ſervetur per Aegyptum, Lybiam, & Pentapolim; ita, ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem; quia & urbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt. Similiter autem & apud Antiochiam, cæteraſque provincias, ſuis privilegia ſerventur Eccleſiis.* Sed *Paſchaſinus* Legatus Pontificius in Concilio Chalcedonenſi Action. 16. jure canonem Concilii Nicæni ſic legit: *Trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum* (id eſt, Patrum Concilii Nicæni I.) *canon ſextus. Quod Eccleſia Romana ſemper habuit primatum. Teneat autem & Aegyptus, ut Epiſcopus Alexandriæ omnium habeat poteſtatem, quoniam & Romano Epiſcopo hæc eſt conſuetudo. Similiter autem & qui in Antiochia conſtitutus eſt &c.*

non primo concedunt Pontifici ; ſed declarant conceſſionem a Chriſto factam, eamque ſua declaratione quaſi confirmant.

At *inquies*: Chalcedonenſe Concilium Act. 15. can. 28. ita pronuntiat: *Etenim antiquæ Romæ throno, quod urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuerunt*: ergo Patres, nempe Nicæni, Romanæ Eccleſiæ tribuerunt primatum, eoquod urbs Roma orbis terrarum imperio potiretur; conſequenter R. Pontifices primatum habent ex diſpoſitione Eccleſiæ ſeu jure humano, non vero ex inſtitutione Chriſti, ſeu jure Divino.

R. Conc. ant. nego conſ. Nam inprimis falſum eſt, quod Nicæni Patres primatum R. Pontifici tribuerint; cum contrarium conſtet ex canone ſexto Concilii Nicæni, a *Paſchaſino* in Concilio Chalcedonenſi recitato, ut paullo ante vidimus. Dein Canon 28. Concil. Chalced. nobis objectus non loquitur de primatu, quem Papa habet *tanquam ſupremus Paſtor univerſalis Eccleſiæ*, ſed de privilegiis, quæ Papa habet, *tanquam Patriarcha occidentis* (m): quem Patriarchatum (ſicut & ceteros Patriarchatus omnes)

E di-

(m) Omnes eruditi norunt, & *Benedictus XIV.* L. 2. de Synodo Diœceſ. cap. 1. expreſſe diſtinquit in R. Pontifice plures diverſas Dignitates his verbis: „ Romanus Pontifex eſt omnium capitum Caput, atque univerſæ, quæ „ ſub cœlo eſt, Chriſti Eccleſiæ Princeps, Moderator, „ & Paſtor; eſt etiam Patriarcha Occidentis, Primas Italiæ, Archiepiſcopus & Metropolitanus Romanæ Provinciæ, atque Epiſcopus urbis Romæ, quod ſcite conſiderant Sirmondus *de regionibus*, & *Eccleſiis ſuburbicariis. Propemptici L.* 2. *cap.* 10. -- Morinus *Exercit.* „ *Eccleſ. L.* 1. *Exercit.* 6. & 13. Leo Allatius *de conſenſu* „ *Eccleſ. Occident & Orient. L.* 1. *c.* 8. Hallier *de Sacris* „ *Ordinat. art.* 3. *pag.*723. Natalis Alexander *hiſtor. Eccleſ. ad Sæculum IV. part.* 2. *diſſert.* 20. *propoſ.* 2. & „ paſſim alii. „

diſpoſitione humana Eccleſiæ, vel Apoſtolorum originem traxiſſe, ultro concedimus. Arrogabat enim ſibi *Anatolius* Patriarcha Conſtantinopolitanus, per hunc canonem abſentibus Legatis Pontificiis ſtatutum, primum locum poſt R. Pontificem, tamquam Patriarcham Occidentis, prout jam decretum erat (ſed invito, nec unquam approbante *Damaſo* Papa) in canone 2do Concilii Conſtantinopolitani I. Hinc in objecto canone Concilii Chalced. poſt illa verba, *Patres privilegia tribuerunt*, ita pergitur: *Et eadem conſideratione moti centum & quinquaginta Dei amantiſſimi Epiſcopi* (in Concilio Conſtantinopolitano I. congregati) *ſanctiſſimo novæ Romæ* (id eſt, Conſtantinopoleos) *throno æqualia privilegia tribueruut, recte ju icantes — non ſecus ac illam* (veterem Romam) *extolli ac magni fieri* debere, *ſecundam poſt illam exiſtentem.* Ceterum hic canon nullius erat roboris, vel autoritatis. Factus enim eſt, ut dixi, abſentibus Legatis Apoſtolicæ Sedis, qui cum illum Action. 16. intellexerunt, apertiſſime reclamarunt (n). Et S. *Leo*, qui tantum ſex primas actiones Concilii Chalcedonenſis approbavit, prædictum canonem expreſſe reprobavit, ut conſtat ex ejus Epiſtola ad *Anatolium* Patriarcham Conſtantinopolitanum, & ex ejusdem Epiſtolis, ad *Marcianum* & *Pulcheriam* datis, quas in *Binio* Part III. Concilii Chalced. invenies.

Urgent: Nicænum I. in memorato Canone VI. ita ſtatuit: *Antiqua conſuetudo ſervetur per Aegyptum, Ly-*

(n) In fine Action. 16. *Lucentius* Legatus Pontificius dixit: *Quæcunque in præjudicium canonum vel regularum heſterna die geſta ſunt nobis abſentibus, ſublimitatem veſtram petimus, ut circumduci jubeatis: ſin alias, contradictio noſtra his geſtis inhæreat, ut noverimus, quid Apoſtolico Viro univerſalis Eccleſiæ Papæ referre debeamus, ut ipſe aut de ſuæ Sedis injuria aut de canonum everſione poſſit ferre ſententiam.*

Lybiam, & Pentapolim; ita, ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem; quia & urbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt. Vel juxta *Ruffini* Verſionem: *Et ut apud Alexandriam, & in urbe Roma vetuſta conſuetudo ſervetur, ut vel ille Aegypti, vel hic ſuburbicarum Eccleſiarum ſollicitudinem gerat.* Ergo R. Pontifex non ex inſtitutione Chriſti, ſed duntaxat ex antiqua conſuetudine, & ex diſpoſitione Conciliorum gubernat Eccleſias Occidentis, ſicut Patriarcha Alexandrinus ſuas in Oriente; nam utriuſque *parilis mos eſt.* R. ut prius, negando ſuppoſitum, quod Canon iſte loquatur de Romano Pontifice, *ut ſupremo Paſtore Eccleſiæ*, ſeu *ut Vicario Chriſti*, & *Succeſſore B. Petri in primatu*, qui ex officio univerſam Eccleſiam gubernat; ſed loquitur de eodem, tamquam Patriarcha Occidentis, qui præter generalem illam omnium Eccleſiarum, ſpecialem habet curam Eccleſiarum Occidentis. Nam cauſam & occaſionem huic Canoni ſtatuendo dedit *Meletius*, Lycopolitanus in Aegypto Epiſcopus, qui, licet ex antiqua conſuetudine receptum eſſet, ut Alexandrinus Epiſcopus per Aegyptum, Lybiam, & Pentapolim ſacras ordinationes faceret, vel fieri permitteret, hunc ritum & ordinem facto ſchiſmate turbavit, varios per varias Aegypti civitates Diaconos, Presbyteros, & Epiſcopos creando ſine Alexandrini Epiſcopi conſenſu. Unde Patres Nicæni, ut huic malo remedium ferrent, & Alexandrino, ceterisque Patriarchis antiqua jura confirmarent, ſextum illum Canonem ediderunt, ſtatuentes, ut, ſicut Romanus Epiſcopus, in quantum eſt Patriarcha Occidentis, habet poteſtatem in omnes ſui Patriarchatus Eccleſias; ita & Alexandrinus Epiſcopus, tanquam Patriarcha Aegypti, Lybiæ, & Pentapoleos, habeat patriachalem poteſtatem per has regiones. Similiter & apud Antiochiam, hoc eſt, apud Patriarcham Antiochenum, ceterasque provincias

 ſuis

ſuis privilegia ſerventur Eccleſiis. Itaque Nicænum Concilium Alexandrini vel Antiocheni Patriarchæ poteſtatem & jurisdictionem non menſuravit ad normam pontificiæ poteſtatis, quæ Romano Pontifici in orbem competit univerſum; ſed ad normam patriarchici juris, quo ille fruitur in ſolum Occidentem. Certe poſt ſancitum prædictum canonem, Romanus Epiſcopus & de perſonis aliorum Patriarcharum, & de ſententiis ab ipſis latis non ſemel judicium tulit: nec ipſum eam ob rem uſurpatæ authoritatis, violatique Canonis ſexti Nicænæ Synodi coarguit aliquis. Ceterum expoſitio *Ruffini* verius Nicæni Canonis corruptio eſt, quam Verſio fidelis, ideoque nulla illius habenda ratio. Cui enim non ſit merito ſuſpectus author, cui odium in Romanam Eccleſiam, a qua damnatus fuerat, & in interpolandis authoribus projecta audacia ac temeritas fidem omnem derogant? Vide plura apud *Natalem Alexandrum* Differt. 20. Hiſt. Eccleſ. ſæculi IV. *Petrum de Marca*, *Ludovicum Du Meſnil*, aliosque, qui in illum Nicæni Concilii Canonem commentati ſunt.

Igitur Romanus Pontifex primatum ſuum in univerſam Eccleſiam neutiquam ex diſpoſitione Eccleſiæ & generalium Conciliorum accepit, & merito Gelaſius Papa (o) dixit: *Sancta Romana — Eccleſia nullis ſynodicis conſtitutis ceteris Eccleſiis prælata eſt; ſed Evangelica voce Domini & Salvatoris noſtri primatum obtinuit.* Et *Nicolaus I.* de prærogativis (p) pontificii primatus ait: *Iſta privilegia huic ſanctæ Eccleſiæ a Chriſto ſunt donata; a Synodis non donata, ſed jam ſolummodo celebrata & venerata.*

§. XXV.

(o) Apud Harduinum Tom. 2. col. 938.

(o) In Epiſt. 8. ad Michaelem Imperatorem, apud eundem Harduinum Tom. 5. Col. 152.

§. XXV.

Fuere non nulli, qui dicerent, Romani Pontificis primatum inſtitutum fuiſſe ab Apoſtolis, qui primo eum Petro detulerint. Sed neque hoc verum eſt, ut patet ex modo dictis; *Romana* enim *Eccleſia Evangelica voce Domini & Salvatoris noſtri*, Petrum ejusque Succeſſores ſuos in terris Vicarios conſtituentis, *primatum obtinuit*, ut *Gelaſius* Papa inquit, & nos ſupra poſition. VII. VIII. & IX. oſtendimus.

Ait quidem *Julius* Papa in Epiſt. ad Orientales: Sancti Apoſtoli *Sanctam Romanam Eccleſiam primatem omnium Eccleſiarum eſſe voluerunt.* Sed ſubintelligit: *Quia Chriſtus ita inſtituit*; ut patet ex verbis, quæ mox addit: *Sicut B. Petrus Apoſtolus primus fuit omnium Apoſtolorum, ita & hæc Eccleſia ipſius nomine conſecrata, Domino inſtituente, prima & caput ſit ceterarum.*

Nec dici poteſt, quod ſaltem Petrus hanc Romanis Epiſcopis authoritatem tribuerit. Licet enim dicatur ipſe Romanam Sedem ſponte ſua elegiſſe, & per hoc determinaſſe Succeſſores ſuos; tamen non ipſe, ſed Chriſtus illis poteſtatem dedit, quam habent (q), ferme, ſicut Cardinales eligentes Pontificem eandem ipſi non dant, ſed Chriſtus. Nullo igitur humano jure, vel Imperatorum, vel Conciliorum, vel ipſorum etiam Apoſtolorum; ſed Divino Romanus Pontifex primatum ac principatum in tota Eccleſia obtinuit. Hinc Facultas Pariſienſis contrariam ſententiam *Lutheri* & *M. Antonii de Dominis* hæreſeos notavit, ut §. XVII. diximus. His duobus Erronibus proxime acceſſit *Edmundus Richerius*, Sorbonici Collegii Doctor ac Syndicus, qui *L. de eccleſiaſtica ac politica poteſtate* anno 1611. edito, primatum Petri & R. Pontificum convellit, docens, Chriſtum non immediate Petro claves contuliſſe,

(q) Vide ſupra §§. XIX. & XXIII.

tuliſſe, ſed Eccleſiæ, a qua proin B. Petrus eas acceperit. Verum infelix Liber. an. 1612. a Sinonenſi Synodo, Præſide Cardinale *Perronio*, proſcriptus eſt, tanquam continens propoſitiones, expoſitiones, & allegationes falſas, erroneas, ſcandaloſas, &, ut ſonant, hæreticas, ſchismaticas; ipſeque Richerius, ad palinodiam compulſus, librum ſuum ſubjecit judicio Eccleſiæ Catholicæ. De hoc (r) ſyſtemate Richeriano præter alios vide *Dionyſium Petavium* L. 3. de Hierarchia Eccleſiaſtica c. 14. & ſeqq.

POSITIO XI.

Romanus Pontifex Primatum ſuum in omnes Fideles, cum Laicos, tum Clericos, atque adeo Epiſcopos, exigente bono Eccleſiæ, exercere poteſt.

§. XXVI.

Ratio hujus Aſſertionis ex præcedentibus poſitionibus eſt clara. Nam S. Petrus primatum Juriſdictionis in omnes Fideles, etiam in Epiſcopos, ipſosque (s) Apoſtolos exercere potuit: ergo & legitimi ejus Succeſſores R. Pontifices in omnes Fideles, Laicos & Clericos, ipſosque Epiſcopos, exigente Eccleſiæ Bono, primatum ſuæ univerſalis Juriſdictionis exercere poſſunt. Cum enim primatus Petri in Romanos Pontifices ex ipſa Chriſti inſtitutione (t) tranſierit; profecto neceſſe eſt, eandem poteſtatem, quam Petrus vi primatus habuit, etiam R. Pontificibus competere. Hinc *Florentinum a nobis* §. XVIII. citatum

(r) Idem ſyſtema a nobis reapſe jam confutatum eſt ſupra in Poſitione IV.

(s) Vide ſupra Poſitionem V.

(t) Vide ſupra Poſitiones VII. VIII. & IX.

tum definivit, *Romano Pontifici in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſam Eccleſiam* (adeoque omnes Fideles tam Laicos, quam Clericos, ipſosque Epiſcopos) *a D. N. Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe.* Et S. *Bernardus* L. 2. *de Conſideratione* ad *Eugenium* Papam c. 8. n. 15. ait: *Habent illi* (Epiſcopi) *ſinguli ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos: tibi univerſi crediti, uni unus. Non modo ovium, ſed & Paſtorum tu unus omnium Paſtor.* Eleganter quoque *S. Bruno Aſtenſis, Epiſcopus Signenſis* (u) in homilia Vigiliæ S. Petri hanc in rem inquit: *Dicit ei* (Petro): *Paſce agnos meos — Paſce oves meas. Prius agnos, deinde oves commiſit ei: quia non ſolum paſtorem, ſed paſtorum paſtorem eum conſtituit. Paſcit igitur Petrus agnos, paſcit & oves; Paſcit filios, paſcit & matres: Regit & ſubditos & Prælatos. Omnium igitur paſtor eſt, quia præter agnos & oves in Eccleſia nihil eſt: nihil, inquam, quod ſuis Paſtoribus Dominus commiſerit.*

Confirmat idipſum antiquiſſima Eccleſiæ praxis. Nam veteres Romani Pontifices authoritatem ſuam

(u) *S. Bruno Aſtenſis* vixit ad finem undecimi, &ad initium duodecimi ſæculi. Alii citatam homiliam, & verba ex ea allata attribuunt S. *Eucherio* Lugdunenſi Epiſcopo ſeniori (qui floruit ſæculo Eccleſiæ quinto), aut alteri cuidam antiquo Epiſcopo Gallicano. Sed longe veroſimilius Author illius homiliæ eſt laudatus S. *Bruno Aſtenſis*, uti etiam indicant Caſſinenſes & Vaticani Indices, & ex Fide Petri Diaconi Caſſinenſis Bibliothecarii. Leguntur etiam citata verba, prout ea recitavimus, *in S. Brunonis Aſtenſis, Epiſcopi Signenſis, Commentario in IV. Evangelia, nunc primum edito ex MS. Codice Bibliothecæ novi Athenæi Collegii Romani. Romæ* 1775. Tom. II. pag. 604. & 605. Qui plura de authore hujus homiliæ, & verborum citatorum reſcire cupit, conſulat maximam Bibliothecam Veterum Patrum, Lugduni anno 1677. typis editam, Tomo VI. in ſerie authorum Operi præfixa: item pag. 618. 686. & 794.

ſemper exercuerunt in ceteros quarumcunque Sedium, etiam patriarchalium Præſules. Epiſcopos quippe plurimos ubique terrarum non ſolum inſtituerunt, vel confirmaverunt: ſed depoſuerunt etiam, & in cunctis quidem Orientis Patriarchatibus, id eſt, Conſtantinopoli, Alexandriæ, Antiochiæ, & Jeroſolymis; vel depoſitos ab aliis ipſi Sedibus ſuis juſta ex cauſa reſtituerunt. Sic *Nicolaus I.* in epiſtola ad Michaelem enumerat octo Patriarchas Conſtantinopolitanos, quos Romani Pontifices depoſuerunt. Et *Gelaſius* in Epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ inquit: *Dioſcorum ſecundæ Sedis* (id eſt, Alexandriæ) *Præſulem ſua authoritate Sedes Apoſtolica damnavit.* Præterea *Flavianum* Patriarcham Antiochenum depoſuit Damaſus, ut ſcribit Theodoretus L. 5. hiſtor. c. 23. Epiſcopum etiam Hieroſolymitanum *Polychronium* depoſuit Sixtus III. ut patet ex Tomo I. Conciliorum in Actis Sixti III. Viciſſim *Athanaſium* Alexandrinum, aliosque Epiſcopos, a Synodo Orientali depoſitos, Julius I. reſtituit, ut pariter ſcribit *Gelaſius* in epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ. Plura ſimilia exempla recenſet *Bellarminus* L. 2. de R. Pontif. c. 18.

§. XXVII.

Sectarii *Opponunt I.* Authoritatem SS. Patrum. S. *Cyprianus* in Actis Concilii Carthaginenſis ait: *Neque quisquam noſtrum Epiſcopum ſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem Collegas ſuos adigit &c.*: Ergo non ſentit, Epiſcopos Romano Pontifici ſubeſſe. Rdeo I. generaliter ad authoritatem S. Cypriani cum S. Auguſtino L. 2. contra Creſconium cap. 32. *Literas Cypriani non ut canonicas habeo, ſed eas ex canonicis conſidero; & quod in eis Scripturarum Divinarum authoritati congruit, cum laude ejus accipio: quod autem non congruit, pace ejus re-*

reſpuo. Rdeo II. conc. antec. nego conſ. Quidam cum *Baronio* putant, humanum quid pati ibi Cyprianum, & verbis illis occulte vellicare *Stephanum* Papam, qui intentata excommunicationis pœna Epiſcopos rebapt zantes ab errore revocare conabatur. De primatu quidem *Stephani* minime dubitabat Cyprianus; putabat tamen (quamvis falſo & temere), eum poteſtate ſua abuti, quod ad res duntaxat, ad diſciplinam pertinentes, obſcuras & nondum ſatis eliquatas, præſtantiſſimis Epiſcopis anathema intentaret. Certe ipſe S. *Cyprianus* manifeſte agnovit in *Stephano* Papa primatum & poteſtatem in ipſos adeo Epiſcopos, dum epiſt. 67. hunc Papam rogavit, ut *Marcianum* Epiſcopum Arelatenſem, Novatianis faventem, ſede ſua epiſcopali dejiceret: *Dirigantur a te literæ in provinciem, & ad plebem Arelate conſiſtentem; quibus abſtento Marciano, alius in locum ejus ſubſtituatur &c.*

Alii cum *Natale Alexandro* Diſſert. IV. in Hiſt. Eccleſ. ſæculi I. & *Laurentio Alticotio* in Summa Auguſtiniana part. 3. quæſt. 2. artic. 5. objecta verba Cypriani eo ſpectare dicunt, non ut primatum & jurisdictionem univerſalem Stephani in Epiſcopos totius orbis Chriſtiani impugnaret, ſed ut admoneret Africanos Epiſcopos, in Concilio Carthaginenſi congregatos, Libertatis ſuæ in proferenda ſententia circa valorem baptiſmi ab hæretico collati, quam Libertatem illæſam ſervatum iri pollicebatur: ſuamque obligabat fidem, neminem ſe a communione ſua præciſurum, qui contra id, quod ipſe (Cyprianus) ſentiebat, pronuntiaret. Atque ita Cypriani verba exponere videtur *S. Auguſtinus* L. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 3.

Urgent: Idem *Cyprianus* L. de Unitate Eccleſiæ ſcribit: *Epiſcopatus unus eſt, cujus pars a ſingulis in ſolidum tenetur*; ergo nullus Epiſcopus habet primatum jurisdictionis in omnes reliquos Epiſcopos, totamque

Eccleſiam. R. conc. ant. nego conſ. Epiſcopatus unus dicitur a S. Doctore ratione originis & radicis; quatenus omnes Epiſcopatus particulares ab Epiſcopatu Romano, velut ab origine, exordium ſumentes, eique adhærentes velut radici, cum eo unum corpus paſtorale conſtituunt, unumque faciunt Epiſcopatum univerſalem, cujus principatum tenet Romanus Pontifex. Hinc ibidem ſimilitudines affert *multorum ramorum*, qui unam arborem efformant, nec non *multorum rivorum*, *quorum unitas ſervatur in origine.* Et alibi, nempe Epiſt. 45. Romanam Eccleſiam appellat *radicem & matricem Eccleſiæ Catholicæ.* Quis vero unquam aut rivum fonti, aut ramos arbori, aut liberos Matri comparavit, aut eodem loco habuit? Nimirum inter ceteras primatus prærogativas, eſt neceſſitas communionis cum Capite; hanc eo loco *Cyprianus* firmam voluit, non primatum impugnare; quem epiſt. 55. ad Cornelium Papam aperte agnoſcit, dicens: *Non aliunde oborta ſunt hæreſes, aut nata ſchismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Chriſti cogitatur, cui ſecundum magiſteria divina fraternitas obtemperat univerſo.* Porro pars unius illius epiſcopatus univerſalis in ſolidum tenetur a ſingulis Epiſcopis, non quod eadem ſit Juriſdictio & dignitas omnium Epiſcoporum, quæ eſt R. Pontificis; ſed ratione Ordinis & characteris epiſcopalis, qui de ſe indiviſibilis eſt totusque ineſt, quibus infigitur.

Oppon. II. Authoritatem S. *Hieronymi*, qui Epiſt. 85. ad Evagrium ſcribit: *Si auctoritas quæritur, orbis major eſt urbe. Quid mihi profers unius Urbis conſuetudinem? — Ubicunque fuerit Epiſcopus, ſive Romæ, ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli &c. ejusdem meriti eſt, & ejusdem Sacerdotii.* Ergo juxta S. Hieronymum R. Pontifex majorem poteſtatem non habet, quam Eugubinus, aut alii Epiſcopi. R. Conc. antec. nego conſ.

conſ. S. Hieronymus hoc loco carpit Diaconos Romanos, qui contra morem totius Eccleſiæ ſe Presbyteris vel æquabant vel omnino præferebant, eoquod ſummo Pontifici aſſiſterent & adminiſtrationi bonorum Eccleſiæ præfecti eſſent. Hanc eorum ſuperbiam nullo modo ferendam eſſe ait S. Doctor, cum repugnet univerſæ Eccleſiæ diſciplinæ; docetque omnes Epiſcopos pares eſſe *poteſtate ordinis*, atque ideo omni veneratione dignos, quamvis pares non ſint divitiis, nec poteſtate jurisdictionis. Hinc continuo addit: *Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas, vel ſublimiorem, vel inferiorem Epiſcopum non facit.* Quod autem S. Hieronymus inæqualitatem quoad *poteſtatem jurisdictionis* in Epiſcopis agnoſcat, omnesque quoad hanc ſubordinatos R. Pontifici profiteatur, inde patet; quia L. 1. adverſus Jovinianum cap. 14. ait: *Inter duodecim* (Apoſtolos) *unus eligitur, ut, Capite conſtituto, Schiſmatis tollatur occaſio.*

Inſtant: *S. Gaudentius* Brixienſis Serm. I. in die ordinationis ſuæ, *S. Ambroſium* vocat *Succeſſorem Petri.* II. Epiſcopi ſæpiſſime vocantur *Papæ*, ut conſtat ex Epiſtolis SS. Hieronymi & Auguſtini. III. Ipſi denique R. Pontifices Epiſcopos vocant *Venerabiles Fratres.* Ergo R. Pontifex non ſolus eſt Succeſſor Petri, nec ſuperior, ſed æqualis aliis Epiſcopis.

Reſponſionem ad I. Vide ſupra §. XX. Ad II. *Papa* idem dicit, ac *Pater*; hicque honoris titulus priſcis temporibus non Epiſcopis tantum, ſed ſæpe etiam presbyteris concedebatur: ſicut noſtro ævo *Patris* titulus datur presbyteris Regularibus. Ad III. Epiſcopi vocantur a Romanis Pontificibus *Fratres Venerabiles*, quia in partem ſolicitudinis paſtoralis vocati ſunt, & poteſtate *Ordinis* ſunt æquales Epiſcopo Romano; quamvis quoad poteſtatem *Jurisdictionis* ſint inferiores.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Oppon. III. Authoritatem ipſorum R. Pontificium. *Siricius* Papa anno 391. faſſus eſt, poteſtatem R. Pontificis inferiorem eſſe Concilio Capuano provinciali.: Ergo R. Pontifex non habet primatum jurisdictionis in omnes Epiſcopos. Prob. ant. in Epiſt. ad Anyſium Theſſalonicenſem, & ceteros Illyrici Epiſcopos, a Concilio Capuenſi ad cognoſcendum de errore *Bonoſi* hæretici deputatos, ſcribit: *Cum hujusmodi fuerit Concilii Capuenſis judicium, ut finitimi Bonoſo, atque ejus accuſatoribus Judices tribuerentur — advertimus, quod nobis judicandi forma competere non poſſet. Nam ſi integra eſſet hodie Synodus, recte de iis, quæ comprehendit ſcriptorum veſtrorum ſeries, decerneremus. Veſtrum eſt igitur, qui hoc recepiſtis judicium, ſententiam ferre de omnibus.* Ergo. R. I. Authorem illius Epiſtolæ incertum eſſe. Multi ex Eruditis eam *Ambroſio* tribuunt. Hæc Opinio ſi ſubſiſtat, nihil contra primatum R. Pontificis ex hac Epiſtola evinci poteſt, ut patet.

R. II. Quamvis daremus, epiſtolam illam ab ipſo *Siricio* exaratam fuiſſe, nihil tamen ex illa contra primatum Papæ concludi valet. Etenim *Siricius* Papa non ſcripſit, poteſtatem ferendi in *Bonoſi* cauſa judicii ſibi non convenire; ſed conveniens non eſſe dignitati ſuæ Sedis, ut cauſæ illius cognitionem ſuſciperet, poſtquam delegati eſſent a Concilio Judices; quia videretur non ſuprema authoritate, & a Chriſto immediate accepta, ſed mutuatitia, & a Synodo demandata, judicare. Ceterum ſe judicaturum fuiſſe aſſerit, ſi cauſa adhuc integra eſſet, id eſt, ſi ejus cognitionem non ſuſcepiſſet, aliisque commiſiſſet Synodus. Hæc *Siricii* mens ex poſterioribus ejusdem Epiſtolæ verbis clare dignoſcitur: *Ideo primum eſt*, inquit, *ut ii judicent, quibus judicandi facultas eſt data.*

Vos

Vos enim totius, ut ſcripſimus, Synodi vice decernitis; nos, quaſi ex Synodi authoritate, judicare non convenit.

Oppon. IV. Authoritatem S. *Gregorii M.* qui *œcumenici* ſeu univerſalis *Epiſcopi* nomen ſemper rejecit, neque ſe, neque alios ita appellari permiſit. Ergo faſſus eſt, nullam ſe jurisdictionem in alios Epiſcopos habere. Ant. prob I. ad Eulogium Antiochenum ſcribens, a quo appellatus fuerat Univerſalis Papa, L. 4. Epiſt. 36. ait: *Si univerſalem me Papam veſtra Sanctitas dicit, negat ſe hoc eſſe, quod me fatetur univerſum*, hoc eſt, negat ſe eſſe Papam, ſeu Epiſcopum. II. L. 4. Epiſt. 37. ad Joannem Jejunatorem, Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui œcumenici Epiſcopi nomen aſſumpſerat, ſcribit: *Nullus* (R. pontificium, etſi in Chalcedonenſi Concilio univerſales Epiſcopi appellati ſint) *unquam tali vocabulo appellari voluit — ne ſi ſibi in Pontificatus gradu gloriam ſingularitatis arriperet, hanc omnibus Fratribus denegare videretur.* III. In eadem Epiſtola ipſi S. Petro primatum videtur denegare; ait enim: *Certe Petrus Apoſtolus primum membrum ſanctæ univerſalis Eccleſiæ eſt --- Et tamen ſub uno capite* (Chriſto) *omnes* (Apoſtoli) *membra ſunt Eccleſiæ.* Ergo Petrus ejusque Succeſſores tantum ſunt membra, non vero Caput Eccleſiæ, quod ſolus Chriſtus eſt. R. nego conſ. S. Gregorius M. primatum ſuum & agnovit & ſæpius exercuit, ut teſtantur ejus Epiſtolæ. Oecumenici Papæ ſeu Epiſcopi nomen conſtanter repudiavit, non quod jurisdictionem ſe in omnes Epiſcopos habere non putaret; ſed quia nomen hoc pravo ſenſui erat obnoxium, ac ſi ſolus Romanus Pontifex vere ac proprie foret Epiſcopus; reliqui vero in orbe Chriſtiano Antiſtites forent R. Pontificis Vicarii tantum ac delegati; utque inſigni hoc Chriſtianæ demiſſionis exemplo ſuperbiam *Joannis* Conſtantinopolitani argueret, qui *Oecumenici* ſeu univerſalis Epiſcopi titulum ambitioſe captabat. Unde S. Gregorius M. in ci-

citata Epiſt. 37. ad hunc Joannem inter alia ait: *Ad hoc -- perductus es, ut deſpectis Fratribus, Epiſcopus appetas ſolus vocari.* De cetero B. Petrum agnovit S. Gregorius tanquam membrum *primarium*, id eſt, Caput viſibile Eccleſiæ Catholicæ, ſubordinatum tamen inviſibili Capiti, quod eſt Chriſtus; ideoque B. Petrum vocat membrum ſub uno Capite, Chriſto. Quod autem S. Gregorius non negaverit primatum Petri, etiam inde patet, quia eum L. 17. Moral. cap. 19. vocat *Apoſtolorum, id eſt, cælorum primum*, & L. 2. in Ezechielem homil. 18. *Apoſtolorum Principem.* Et in L. 4. Epiſt. 32. ad Mauritium Auguſtum de prædicto JoanneEpiſcopo Conſtantinopolitano ſcribit in hæc verba: *Cunctis Evangelium ſcientibus liquet, quod voce Dominica --- omnium Apoſtolorum Petro principi Apoſtolo totius Eccleſiæ cura comiſſa eſt --- Ecce --- cura ei totius Eccleſiæ, & principatus comittitur, & tamen univerſalis Apoſtolus non vocatur: & vir ſanctiſſimus, conſacerdos meus, Joannes vocari univerſalis Epiſcopus conatur. Exclamare compellor & dicere: O tempora, o mores.* Ita S. Gregorius M.

Dices: Non eſt veriſimile, quod Joannes Jejunator hoc ſenſu ſibi uſurpaverit nomen *Epiſcopi œcumenici*; quaſi ipſe ſolus eſſet Epiſcopus. Ergo Gregorius non hac de cauſa reprobavit titulum Epiſcopi œcumenici. R. conc. ant. nego conſ. Quamvis Joannes Jejunator in tam pravo ſenſu non arrogaverit ſibi nomen illud, recte tamen ac prudenter inſectatus eſt hunc titulum S. Gregorius M. I. Quia hoc nomen ſaltem obnoxium erat pravo ſenſui. II. Quia perſpecta illi erat græculorum arrogantia & perfidia; merito enim timendum erat, ne Succeſſores Joannis, tam grandi nomine obtento, litem de primatu Romanæ Eccleſiæ intentarent. III. Quia hoc nomine, in quocunque demum ſenſu acciperetur, Epiſcopi Conſtantinopolitani præferri videbantur Patriarchis Alexan-

xandrino & Antiocheno, quam eminentiam Conſtantinopolitani Epiſcopi, licet a Concilio Conſtantinopolitano I. & Chalcedonenſi ſancitam, conſtanter reprobavit Eccleſia Romana uſque ad tempora Lateranenſis IV. Concilii ſub Innocentio III., ubi pacis conſervandæ ſtudio, & ut nutantes Græci in unione cum R. Eceleſia retinerentur, primus locus poſt R. Pontificem Epiſcopo Conſtantinopolitano a memorato Concilio Lateranenſi canon. 5. conceſſus eſt, ea etiam de cauſa, quia reliqui Patriarchæ Orientales, Alexandrinus, Antiochenus, Jeroſolymitanus jam a multis annis hanc prærogativamConſtantinpolitano ceſſerant.

§. XXIX.

Oppon. V. Authoritatem Conciliorum. Concilia Generalia, *C P o l i t a n u m I.* can. 2. *C h a l c e d o n e n ſ e* can. 28. *Q u i n i - S e x t u m* can. 36. tribuunt parem authoritatemCPolitano Patriarchæ cum R. Pontifice. Ergo R. Pontifex primatum jurisdictionis non habuit in Epiſcopos Orientales. R. I. Nego antec. Mens horum Conciliorum nunquam fuit,CPtanos Epiſcopos æquare R. Pontifici conſiderato, ut Capiti univerſalis Eccleſiæ (x), ſed tantum,ut Patriarchæ Occidentis. Unde CPtanum I. can. 2. ait: *CPtanus Epiſcopus habeat priores honoris partes poſt Romanum Epiſcopum, propterea quod ſit nova Roma.* R. II. Nego etiam conſ. quia, ut modo dixi,canones illos conſtantiſſime rejecit Romana Eccleſia, uſque ad tempora Lateranenſis IV. Præterea canones Quini - Sexti non a generali Concilio ſanciti ſunt, ſed a Truliana græcorum Synodo, CPoli habita in palatio Jmperatoris Juſtiniani II. ad finem Sæculi ſeptimi, eosque S. *Sergius* I. Papa reprobavit, præter illos, quibus antiqua

(x) Vide ſupra §. XXIV.

tiqua diſciplina , in Romana Eccleſia jam diu antea obſervata, continebatur.

Urgent : In Concilio *A f r i c a n o* ſtatutum eſt, *ne primæ Sedis Epiſcopus appelletur Princeps Sacerdotum, vel ſummus Sacerdos, ſed tantum primæ Sedis Epiſcopus. Univerſalis autem nec etiam Romanus Pontifex appelletur.* R. canonem illum loqui de Africanis Metropolitis, qui ſe Principes Sacerdotum vocabant. Poſteriora verba: *Univerſalis autem nec etiam R. Pontifex appelletur*, non ſunt Concilii Africani, ſed compilatoris *Gratiani*, qui multa alia ſuppoſititia Canonum collectioni immiſcuit.

SECTIO II.

DE ROMANI PONTIFICIS INFALLIBILITATE.

POSITIO XII.

Finis præcipuus inſtituti a Chriſto Primatus Pontificii eſt Unitas Eccleſiæ Catholicæ formanda & conſervanda.

§. XXX.

Cum de fine primatus quæritur, non illud hoc loco indagatur, cur Petro potius, quam alteri cuidam ex Apoſtolis primatus delatus fuerit, ſed cur ipſe primatus a Chriſto inſtitutus ſit: id enim cognoſcere ad decidendam præſentem de R. Pontificis infallibilitate controverſiam plurimum confert, ut ex dicendis patebit. Eſt autem unanimis Patrum (z) omniumque Catholicorum ſententia, Chriſtum ideo prædictum primatum inſtituiſſe, ut Unitas Catholicæ Eccleſiæ per Petrum, ejusque Succeſſores formaretur, & cuſtodiretur. Sic *S. Cyprianus* ſæculo 2do Eccleſiæ florens L. de Unitate Eccleſiæ ait: *Quamvis* (Chriſtus) *Apoſtolis per reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat — tamen ut unitatem manifeſtaret, unitatis originem ab uno* (Petro) *incipientem ſua authoritate diſpoſuit. S. Optatus Milevitanus* ſæculo 4to L. 2. contra

(z) Horum verba longa ſerie recenſet *Ballerinius* de primatu Papæ cap. 13.

tra Parmenianum c. 2. hæc habet: *Negare non potes, in urbe Roma cathedram Epiſcopalem primum datam Petro, qui in ea ſedit, cum eſſet omnium Apoſtolorum Caput, exinde Cephas appellatus: in qua una cathedra Unitas ab omnibus ſervaretur; nec ceteri Apoſtoli ſingulas ſibi quisque defenderent, ut jam, qui contra hanc cathedram alteram collocaret* (id eſt, contraria docentem, vel non ſubordinatam) *ſchiſmaticus & peccator agnoſceretur. In hac ergo unica cathedra Petrus primus ſedit, ei Linus ſucceſſit, Lino Clemens &c.* S. Pacianus Barcinonenſis *ſæculo* 4to *Epiſt.* 3. in locum Matthæi c. 16. dicit: *Ad unum Petrum ideo locutus eſt Dominus, ut unitatem formaret ex uno.* S. Hieronymus ſæculo 4to, L. 1. in Jovinianum n. 26. *Propterea*, inquit, *inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto Schiſmatis tollatur occaſio.* Hinc merito Romanus Catechiſmus ad Art. 9. Symbol. §. 12. de Petro ait: *Fuit illa omnium Patrum ratio & ſententia conſentiens, hoc viſibile caput ad Unitatem Eccleſiæ conſtituendam & conſervandum neceſſarium fuiſſe.* Fatentur id ipſum ii quoque Authores, qui circa infallibilitatem Papæ ſe ſolo ſpectati nobis contrarii ſunt e. g. *Boſſuetus* (a) ceterique. Hac ipſa de cauſa iidem Galli R. Pontificem, & Romanam Sedem *Catholicæ unitatis centrum* appellare ſolent, in quo ſcilicet *Unitas ſervatur Eccleſiæ*, ut legimus in ipſa Declaratione Cleri Gallicani edita in Comitiis Generalibus anni 1682, in qua hic Clerus novitiam opinionem *Joannis Gerſonii*, quod Papa ſe ſolo fallibilis, & Concilio generali inferior ſit, amplexus eſt.

PO-

(a) In expoſitione doctrinæ Cathol. cap. 21.

POSITIO XIII.

Unitas, ob quam Chriſtus Primatum Pontificium inſtituit, eſt tam Unitas Fidei, quam Caritatis ſive Communionis: & ad utramque hanc tuendam & conſervandam Petro, & Succeſſoribus ejus vim & poteſtatem idoneam dedit.

§. XXXI.

Per *Caritatem* hic non intelligitur illa, qua diligere nos mutuo debemus, uti homines (hoc enim amore debemus conjungi etiam cum infidelibus, qui extra Eccleſiam ſunt; nec ſi quis ejusmodi amore careat, dum cetera adſint, ab Eccleſiæ unitate idcirco deſcivit): ſed intelligitur ſpecialis quædam caritas, chiſtianorum propria, qua, ſuis Paſtoribus & Epiſcopis nullo ſchiſmate diviſis conjuncti, unam Fidem ſub uno viſibili capite pacifice profitentur. Sunt autem hæ duæ unitates *Fidei* & *Caritatis* tam veræ Chriſti Eccleſiæ, ſingulorumque ejus membrorum propriæ & neceſſariæ, ut, qui alterutra careat, is eſſe deſinat in vera Eccleſia. Hinc duo ſunt, quæ homines ab Eccleſia potiſſimum excludunt, *hæreſis*, qua tollitur unitas Fidei, & *ſchiſma*, qua Caritatis Unitas adimitur. Ceterum, ubi per Schiſma Unitas Caritatis deſinit, non diu Unitas Fidei ſervari ſolet. Nam, ut *S. Hieronymus* in Epiſt. ad Titum c. 3. ait: *Nullum Schiſma non ſibi aliquam confingit hæreſim, ut recte ab Eccleſia receſſiſſe videatur.* Cum igitur Chriſtus, inſtituens Pontificium primatum, pro fine habuerit Eccleſiæ Catholicæ Unitatem, ut præced. poſitione vidimus, haud dubie tam unitatem caritatis, quam Fidei (b), quæ eſt

(b) Ipſe *Joannes Gerſon* adverſariorum Coryphæus in Opere *de poteſtate Eccleſiaſtica* Conſid. 9. rationem, cur *Chriſtus voluerit Eccleſiam ſuam regi principaliter ſub uno & ab uno*

eſt Unitas Eccleſiæ præcipua, intendit. Ne autem hunc finem fruſtra intendiſſe dicatur, vim & poteſtatem Petro & Succeſſoribus ejus ad eum finem idoneam dediſſe cenſendus eſt, jus ſcilicet coactivum, prædictæ Unitati componendæ & conſervandæ neceſſarium. Neque enim de ſapientiſſimo ac divino totius ædificii Eccleſiæ Chriſtianæ Inſtitutore, cujus æque potentia ac ſapientia infinita eſt, cogitare licet, quod media, fini conſequendo inſufficientia, adhibuerit.

Certe ipſe *Boſſuetus* in ſermone ad Comitia Cleri Gallicani an. 1681. dixiſſe legitur: *Etenim Jeſus Chriſtus ſe communicat tali menſura, quæ ipſi placet; ſemper autem ſe eo modo communicat, qui ſtatuendæ Unitati ſuæ Eccleſiæ ſit congruentior.*

POSITIO XIV.

Romanus Pontifex jus & poteſtatem tuendi in Eccleſia, & conſervandi Unitatem Fidei non haberet, niſi ex cathedra loquens obligare poſſet totam Eccleſiam ad aſſenſum, ſuis definitionibus præſtandum.

§. XXXII.

Tunc Papa *ex cathedra loquitur*, quando, tanquam univerſalis Paſtor, & Caput Eccleſiæ, circa Fidei & Morum Quæſtiones totam Eccleſiam, ſeu univerſos Fideles alloquitur, eosque ad credendum propoſitum dogma obligat, aut contrarium ſentientes anathemate percellit. Ratio autem, cur tali caſu Pontifex *ex cathedra loqui* dicatur, eſt hæc, quia tunc agit ex officio

uno *Monarcha*, videlicet R. Pontifice, addidit hanc: *Quoniam iſte eſt optimus principatus -- ad conſervationem Unitatis Fidei, ad quam obligantur omnes.* Principatum ergo ſeu Primatum Papæ a Chriſto ob unitatem Fidei in Eccleſia conſervandam agnovit Gerſon.

cio ut Paſtor Rectorque totius Eccleſiæ, a Chriſto conſtitutus: proindeque in cathedra Petri, per legitimam ſucceſſionem accepta, ſedet, & pronuntiat ſententiam definitivam, ut publicus Doctor, omnes Chriſti Fideles erudiens, & ad aſſenſum obligans. Hujus generis dogmaticas Definitiones edidere *Innocentius I.* & *Zoſimus* contra Pelagianos, *Cœleſtinus I.* contra Neſtorium, *Leo I.*, contra Eutychetem, *Agatho I.* contra Monotheletas, *Leo X.* contra Lutherum &c. Dixi I. *tanquam univerſalis Paſtor & Caput Eccleſiæ*; nam ut Perſona, vel Doctor privatus abſolute errare poteſt Papa. Dixi II. *circa Fidei & Morum Quæſtiones.* In aliis enim quæſtionibus, uti etiam puri facti non connexi cum jure, falli poteſt. Verum hæc & plura alia huc pertinentia alibi (c) diſtinctius explicabimus.

His prænotatis oſtendo, Papam jus & poteſtatem tuendi & conſervandi unitatem Fidei in Eccleſia univerſali non habiturum, niſi, ſubortis dubiis aut controverſiis Fidei totam Eccleſiam, id eſt, omnes Fideles tam Laicos, quam Clericos, ipſosque Epiſcopos cogere poſſet ad aſſenſum, dogmaticis ſuis Definitionibus præſtandum. Quomodo enim ſine hac vi coactiva tuebitur unitatem Fidei, ut omnes cum ipſo idem ſentiant & credant? Quomodo erit Centrum Unitatis Fidei, ſi Fidelibus ab hoc centro recedere & diſſentire licitum ſit? Certe antiquiſſima & perpetua Patrum (d) Traditio eſt, omnes Fideles obligari, ut cum cathedra Petri, ſeu Romano Pontifice in doctrina Fidei & Morum conſentiant. Sic *S. Irenæus* ſæculo 2do Eccleſiæ ſcribit L. 3. contra hæreſ. c. 3. his verbis: *Ad hanc enim Eccleſiam* (loquitur de Eccleſia Romana

F 3 par-

(c) Vide infra *Poſitio XXI.*

(d) Vide *Petrum Ballerinium* de Primatu. cap. 13. Item *Antoine*, pluresque alios.

particulari) *propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos, qui ſunt undique Fideles*; nimirum neceſſe eſt, omnes in doctrina Fidei convenire cum Eccleſia Romana. Nam S. Irenæus hoc loco ſibi probandum propoſuit, ex Romanæ Eccleſiæ Fide & Traditione hæreticos confundi; prout legenti totum contextum patebit. *S. Cyprianus* ſæculo 3tio, Epiſt. 55. ad Cornelium ait: *Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos & Judex* (nempe in rebus Fidei & Morum) *vice Chriſti cogitatur*, qui videlicet eſt R. Pontifex, utpote jure Divino Vicarius Chriſti, & Paſtor ſupremus Eccleſiæ. Textum S. *Optati Milev.* ſæculo 4to viventis & ſcribentis in hanc rem citavi ſupra §. XXX. *S. Hieronymus* pariter ſæculo 4to in Epiſt. ad Damaſum Papam de controverſia, utrum in Deo dicendum ſint tres Hypoſtaſes dari, ſcribens, ait: *Ideo mihi Cathedram Petri, & Fidem, apoſtolico ore laudatam, cenſui conſulendam -- Vos eſtis Lux mundi, vos Sal terræ -- Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt, cathedræ Petri communione conſocior: ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum, agnum comederit, profanus eſt. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio. -- Quicunque tecum non colligit, ſpargit, hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt -- Quamobrem obteſtor Beatitudinem tuam per Crucifixum, mundi Salutem, per homouſion* (ſeu conſubſtantialem, id eſt, habentem unam eandemque ſubſtantiam) *Trinitatem, ut mihi epiſtolis tuis ſive tacendarum, ſive dicendarum hypoſtaſeon detur authoritas.* Taceo plura alia Patrum teſtimonia in hanc rem, quibus palam fit, omnes Fideles obligari, ut in quæſtionibus Fidei & Morum cum Sede Apoſtolica ſentiant. Niſi enim hæc obligatio daretur, R. Pontifex fruſtra conaretur, omnes in ejusdem Fidei

dei Unitate conſervare, & ad idem ſecum, tanquam Unitatis hujus centro, ſentiendum adigere: quod D. *Hieronymus* breviter ac diſtincte enuntiavit in Dialog. adverſus Luciferianos num. 9. his verbis: *Eccleſiæ ſalus in ſummi Sacerdotis dignitate pendet; cui ſi non exſors quædam, & ab omnibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſiis efficientur Schiſmata, quot Sacerdotes.*

Ex his colliges, quod, quando S. *Auguſtinus*, aliive Patres dicunt, S. Petrum propter primatum, quem in diſcipulis habuit, fuiſſe typum & figuram unitatis Eccleſiæ (quia ſcilicet primus cujuslibet cœtus totum cœtum repræſentare ſolet), id non ita intelligendum ſit, quaſi Petrus, ejusque Succeſſores R. Pontifices meram duntaxat unitatis repræſentandæ facultatem ſine vi coactiva ejus formandæ & continendæ haberent. Certe ſola unitatis figura & repræſentatione hæreſes ac ſchiſmata tolli & impediri non poſſunt. Præterea ſi ſola unitatis repræſentatio absque coactivo jure Petri primatum conſtitueret; primatus meri ordinis & honoris inde oriretur, quod nemo Catholicorum admittit, neç admittere poteſt. Igitur R. Pontifex non tantum repræſentat Unitatem Eccleſiæ, ſed habet etiam jus & poteſtatem coactivam eam tuendi & çonſervandi: proinde ſuis Definitionibus totam Eccleſiam ad aſſenſum obligare poteſt. Neque enim typus ſeu repræſentatio Unitatis jus coactivum excludit; ut patet in Conciliis generalibus, quæ etſi univerſam Eccleſiam repræſentent, jure tamen coactivo non carent.

POSITIO XV.

Romanus Pontifex ex cathedra loquens eſt infallibilis jam ante aſſenſum Eccleſiæ.

§. XXXIII.

Cum enim juxta Poſitionem præcedentem Papa habeat jus per dogmaticas ſuas Definitiones totam Eccleſiam, id eſt, omnes Fideles tam Laicos, quam Clericos, ipſosque Epiſcopos obligandi ad aſſenſum eisdem præſtandum; niſi in his Definitionibus eſſet infallibilis, totam Eccleſiam inducere poſſet in errorem contra Fidem: quod ſtantibus promiſſis Divinis (e) fieri nequit. Porro hanc inerrantiam Romani Pontificis ulterius probabimus I. ex S. Scriptura & SS. Patribus. II. Ex effatis Conciliorum & ipſorum RR. Pontificum. III. ex ſeris contrariæ ſententiæ initiis. IV. ex aliis rationibus theologicis.

Antequam autem id præſtemus, obſervare juvat, noſtræ ſententiæ adverſari ex Catholicis potiſſimum Gallos & non paucos hodie Germanos, aliarumque nationum Doctores, qui tamen in duas abeunt Opiniones. Ima eſt *Tournelii* aliorumque, Decreto Cleri Gallicani an. 1682. magis conformis, qui docent Romani Pontificis decreta non eſſe irreformabilia etiam quoad Fidem & Mores, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit. Quanquam & ipſi circa ſenſum hujus conditionis non conveniunt; cum aliqui putent, ſufficere conſenſum paucorum e. g. duorum vel trium, alii notabilis

(e) Eccleſiam non poſſe errare in Fide & moribus, promiſit Chriſtus Matth 16. *Tu es Petrus &c.* Et cap. 28. *Ecce vobiſcum ſum omnibus diebus usque ad conſummationem ſæculi.* Item Joan. 14. v. 16. & 26. Hinc etiam S. Paulus 1. Timoth. 3. v. 15. Eccleſiam vocat *columnam & firmamentum Veritatis.*

tabilis partis, iterum alii majoris partis Epiſcoporum: quidam denique requirant unanimitatem Epiſcoporum, ſi non omnino phyſicam, ſaltem moralem. IIda eſt *Boſſueti*, *Launoii*, aliorumque, qui putant, ut infallibile ſit Romani Pontificis decretum in cauſa Fidei & Morum, non requiri conſenſum Univerſalis Eccleſiæ; ſed ſufficere cónſenſum Romanæ Eccleſiæ, prout hæc particularis Eccleſia eſt: ac diſcrimen faciunt inter Sedem Apoſtolicam, & ſedentem in ea: illam eſſe infallibilem contendunt; hunc vero fallibilem. At hanc diſtinctionem inter Sedem & Sedentem in præſenti controverſia male adhiberi, infra (f) oſtendemus.

POSITIO XVI.

Romani Pontificis ex cathedra loquentis infallibilitas ante aſſenſum Eccleſiæ, ulterius oſtenditur ex S. Scriptura, SS. Patribus, & effatis ipſorum RR. Pontificum.

§. XXXIV.

Primus locus eſt Matth. c. 16. ubi Chriſtus Petro, confitenti ejus Divinitatem, promiſit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Hæc verba dirigi ad Petrum probavimus §§. II. X. Item pertinere ad Succeſſores Petri in Romana Sede, oſtendimus §. XVIII & XIX., ubi de primatu R. Pontificis; cum enim Chriſtus fundavit Eccleſiam in ævum duraturam, fundamentum illius debebat in ævum permanere in Petri Succeſſoribus. Neque de his eſt modo difficultas; cum ipſi adverſarii ex hoc textu probent nobiſcum adverſus Sectarios primatum S. Petri & Romani Pontificis.

(f) Vide §. XXXVII. *Dicunt II.*

Subſumo; atqui his Chriſti ad Petrum verbis continetur privilegium infallibilitatis, promiſſum Petro & Succeſſoribus ejus: ergo. Prob. Subſumptum. His verbis non ſolum Eccleſiæ, ſed etiam petræ, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, id eſt, Petro & Succeſſoribus ejus promiſſa eſt infallibilitas; ut patet ex Patribus. Sic *Origenes* in cap. 16. Matthæi ait: *Neque adverſus Petram, ſuper quam Chriſtus ædificavit Eccleſiam, neque adverſus Eccleſiam portæ inferi prævalebunt.* *S. Auguſtinus* in Pſalmo contra partem Donati inquit: *Numerate Sacerdotes, vel ab ipſa Petri Sede, & in ordine illo Patrum, quis cui ſucceſſit, videte, ipſa eſt petra* (Petri Sedis), *quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Similia in hunc Scripturæ locum habent *Epiphanius* in Anchorato, *S. Leo* Epiſt. 4. ad Epiſcopos Gallicanos Provinciæ Viennenſis cap. 1. aliique Patres.

Confirmatur ratione theologica: Certum eſt hæc verba: *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*, referri ad Eccleſiam, & per hæc illi promitti indefectibilitatem: atqui Eccleſia ſeu ædificium non poteſt eſſe indefectibile, ſi fundamentum, cui innititur, ſit defectibile: ergo petra ſeu fundamentum, id eſt, Petrus ejusque Succeſſores, pariter in Fide ſunt indefectibiles, ſaltem ſi ex Cathedra loquantur.

Alter locus eſt Luc. 22. ubi Chriſtus ſic Petrum alloquitur: *Simon, Simon ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma Fratres tuos.* I. His verbis Chriſtus promittit Petro indefectibilitatem in Fide, nec dubium eſt, quin fuerit exauditus pro ſua reverenta. II. Hæc verba diriguntur ad ſolum Petrum, prout eſt ab aliis Apoſtolis diſtinctus, ut patet conſideranti. III. His verbis Chriſtus promittit indefectibilitatem Petro, non tantum ut perſonæ privatæ, ſed ut Paſtori Eccleſiæ, qualem ipſum ejusque Succeſſores inſtituturus erat, ſecundum

dum promiſſionem factum Matth. 16.; promittit enim illi indefectibilitatem, ut confirmet fratres ſuos in Fide, quod pertinet ad officium Paſtoris ac Capitis, Idque teſtantur cum SS. Patribus ipſi RR. Pontifices, qui ex hoc loco inferunt infallibilitatem ſuam in Decretis Fidei & Morum. Sic S. *Leo* Sem. 3. in Anniverſario Aſſumptionis ſuæ ad Pontificatum, ait: *Specialis a Domino Petri cura ſuſcipitur, & pro Fide Petri proprie ſupplicatur: tamquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & Divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis conferatur.* Ex hoc igitur, quod Chriſtus oravit ſpecialiter pro Petro, ne deficeret fides ejus; *ſimulque* eum admonuit, ut in eadem fide confirmaret fratres ſuos, ſequitur, eum oraviſſe etiam pro ſucceſſoribus Petri, iisque impetraviſſe hoc ſaltem donum, ut hæreſin vel errorem publice ex cathedra docere non poſſint; quia & ipſi, non minus, quam Petrus, ex officio debent fratres ſuos, & Chriſtianos omnes confirmare in fide.

Dixi: *Simulque eum admonuit &c. &c.* Nam vis potiſſima argumenti hujus non conſiſtit in his *ſolis* verbis: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*; ſed in his ſimul & ſequentibus: *Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Si enim priora conſiderentur *ſeorſim*, ſenſus illorum literalis alius non eſt, quam: Fidem Petri *perſonalem* nunquam eſſe defecturam. Atque ita hæc verba ſeorſim conſideraverunt S. Chryſoſtomus Homil. 83. in Matthæum, & S. Auguſtinus L. de Corrept. & gratia Cap. 6. & 8. qui ea ſolummodo de perſonali fide Petri nunquam defectura expoſuere: quamvis per hoc non aſſeruerint, ea, conſideratis etiam poſterioribus verbis, non poſſe intelligi niſi de hac fide; ſive Chriſtum *oraſſe ſolum* pro fide Petri in *cre-*

credendo,non item in *docendo*. *Theophylactus* vero in hunc Lucæ c. 22. locum commentatus, ſatis indicat, citata verba intelligenda eſſe, non de ſola fide Petri perſonali, ſed de ejus infallibilitate in docendo, in quantum erat fundamentum, Caput, & Doctor publicus Eccleſiæ. Nam Chriſtum cum Petro inducit ita loquentem: *Quia te habeo, ut principem diſcipulorum, poſtquam negato me fleveris, confirma ceteros: ſic enim te decet, qui poſt me Eccleſiæ petra es, & fundamentum*.

Hoc ſenſu profecto prædicta S. Scripturæ verba intellexit S. *Agatho* in Epiſt ad Conſtantinum Pogonatum Tom. 6. Labbei col. 636. Ex illis quippe intulit hic S. Pontifex, *Apoſtolicam Chriſti Eccleſiam ab exordio fidei Chriſtianæ, ſine tenus illibatam permanere ſecundum ipſius Domini Salvatoris Divinam pollicitationem, ſuorum diſcipulorum Principi* Luc. 22. factam. Similiter S *Leo IX*. in Epiſt. ad Michaelem Cerularium & Leonem Acridanum ſcribit: *Erit ergo quiſquam tantæ dementiæ, qui orationem* (Et ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua) *illius, cujus velle eſt poſſe, audeat in aliquo vacuam putare? Nonne a Sede Principis Apoſtolorum, Romana videlicet Eccleſia, tam per eundem Petrum, quam per ſuos Succeſſores convicta atque expugnata ſunt omnium hæreticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri, quæ hactenus non defecit, neque in finem deficiet, ſunt confirmata? Innocentius III*. Serm. 2. in conſecratione Pontificis Maximi ait: *Niſi ego ſolidatus eſſem in fide, quomodo poſſem alios in fide firmare? Quod ad officium meum noſcitur ſpecialiter pertinere, Domino proteſtante; Ego, inquit, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Rogavit, & impetravit: quoniam exauditus eſt in omnibus pro ſua reverentia. Et ideo fides Apoſtolicæ Sedis in nulla unquam turbatione defecit, ſed integra ſemper & illibata permanſit, ut Petri privilegium perſiſteret inconcuſſum*. Hæc & plura alia teſtimonia ipſi

ipſi RR. Pontifices protulerunt in conſpectu totius Eccleſiæ, atque continentur in Epiſtolis ad varias Eccleſias, imo quandoque ad Oecumenica Concilia directis, quibus nemo unquam contradixit; ita, ut male quis diceret, RR. Pontificibus in cauſa propria loquentibus non eſſe credendum. Quidni enim pari ratione Synodi Conſtantienſis authoritatem quis recuſet, quod, cum ſe Pontifice ſuperiorem edixit, non minus in propria cauſa locuta ſit? Et profecto ſi antiqua Jmperatorum, Principum & Epiſcoporum teſtimonia recipi oportet, cum monumentis publicis jura ſua expreſſerunt, nemoque inventus eſt, qui ea in controverſiam adduceret; cur non itidem ſummorum Pontificum teſtimonia acceptabimus, quæ circa ſua jura & privilegia publice & palam protulerunt, & quibus nemo orthodoxorum ſe oppoſuit, ſed quæ potius ab ipſis Conciliis œcumenicis ſunt approbata,ut in Poſitione XVIII. videbimus. Certe non minor, imo major eſt veterum illorum, ſanctorumque Pontificum autoritas: quia iisdem Pontificibus præcipue nota eſſe debuit ex Petri traditione prærogativa Romanæ Sedis ſuæ, a Chriſto accepta. Credendum itaque eſt hac in re ſummis Pontificibus, quamvis teſtimonium ferentibus in propria cauſa, præſertim, quia hæc conjuncta eſt cum cauſa ipſius Chriſti & Eccleſiæ; ſicut omnes Catholici fatentur, ubi agunt de Romani Pontificis primatu. Hunc enim ex veterum quoque ſanctorum Pontificum teſtimoniis paſſim probant. Sed quid plura? habemus nobis hic conſentientem ipſum *Boſſuetum* in Defenſ. declarat L. 10. al. 15. c. 6. his verbis: *Quibus Deus ſingularis honoris dignitatisque prærogativam contulit; iisdem inſpirat verum de ſua poteſtate ſenſum --- Quod quidem hic ſemel dicere placuit, ut temerariam ac peſſimam reſponſionem* (eorum, qui RR. Pontificibus de ſuis prærogativis teſtimonium perhibentibus credendum eſſe, negant) *confutarem*; *pro-*

profiteorque, me de Sedis Apoſtolicæ majeſtate, Romanorum Pontificum doctrinæ & traditioni crediturum

Ceterum præter citata RR. Pontificum effata, non deſunt aliorum Patrum ſententiæ, quibus Papæ ex cathedra loquentis infallibilitatem jam ante Eccleſiæ aſſenſum, haud obſcure aſſerunt. Tres ſolum commemorare juvat. Primus eſt S. *Auguſtinus*, qui poſtquam Innocentius I. hæreſin Pelagii Romæ die 27. Januarii anno 417. damnavit, & hujus Pontificis hac de re Literæ in Africam perlatæ ſunt, ait, cauſam eſſe finitam, nempe infallibili Romanæ Sedis judicio. Sermone enim 2do, nunc 131mo de Verbis Apoſtoli die 23. Septembris anno 417. S. Doctor ita populum ſuum allocutus eſt: *De hac cauſa* (Pelagianorum) *duo Concilia* (Carthaginenſe ſcilicet & Milevitanum) *miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam, inde etiam reſcripta venerunt: Cauſa finita eſt: Utinam aliquando finiatur error.* Alter eſt *S. Petrus Chryſologus*, qui ſic ait: *In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, ut his, quæ a Beatiſſimo Papa Romanæ civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas; quoniam B. Petrus, qui in propria Sede & vivit, & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem* (g). Quibus verbis S. Doctor reddit rationem cur Romano Pontifici in rebus Fidei obedienter ſit attendum: quia nempe Pontifex, ex cathedra Petri docens, a vera & orthodoxa fide aberrare non poteſt, ob ſpeciale privilegium Sedi ſuæ conceſſum. Tertius eſt S. *Bernardus* Epiſt. 190. nomine omnium Epiſcoporum Galliæ ita ſcribens ad Innocentium II. in cauſa Abaelardi: *Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque & ſcandala emergentia in regno Dei, & præſertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, ubi* NB. *non poteſt*

(g) In Epiſt. ad hæreſiarcham Eutychetem.

poteſt fides ſentire defectum. Cui enim alteri aliquando dictum eſt : Ego rogavi pro te , Petre , ut non deficiat fides tua ? Ergo quod ſequitur , à Succeſſore Petri exigitur : Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Ita S. Bernardus Gallicanæ, imo univerſæ Eccleſiæ lumen.

POSITIO XVII.

Vana ſunt Adverſariorum effugia , quibus noſtra argumenta ex S. Scriptura, & traditione Veterum RR. Pontificum , ſanctorumque Patrum enervare nituntur.

§. XXXV.

Inprimis plura noſtræ probationi, ex Matth. c. 16. *Tu es Petrus , & ſuper hanc petram &c. &c.* deſumtæ reponunt Adverſarii.

Dicunt Io. Per petram a Patribus intelligitur fides Petri , imo ab Auguſtino ipſe Chriſtus : ergo ex hoc textu , qui a Patribus tam diverſis modis exponitur, ſolidum argumentum formari non poteſt. Rdeo conc. ant. nego conſ. Præterquam enim , quod aliæ interpretationes recedant a ſenſu proprio & literali (vide dicta §. IV. & ſeqq.), nunquam excludunt Patres noſtram interpretationem; imo, dum ajunt , petram eſſe *fidem Petri* , reapſe idem dicunt , quod nos. Neque enim intelligunt fidem Petri in abſtracto , ſed in concreto , nempe Petrum divinitatis Chriſti fidem profitentem , ut jam diximus. Ceterum quemadmodum , non obſtante diverſa Patrum interpretatione , etiam a Gallis *Primatus* Petri & Romanorum Pontificum ex citato Matthæi loco probatur : ita etiam , ea non obſtante , Romanorum Pontificum *infallibilitas* ex eodem ſcripturæ loco evincitur ; quia non magis ad Petri , ejusque Succeſſorum perſonam referri videntur ea verba pro primatu , quam pro ipſorum infallibilitate.

Re-

Reponunt. Si per petram intelligitur Petrus, aut Papa, moriente Petro aut Papa deficeret fundamentum Eccleſiæ: ergo vel Petrus aut Papa deberet eſſe immortalis, vel ipſo moriente, corrueret totum Eccleſiæ ædificium, in eo fundatum. Rdeo. diſt. ant. deficeret ad tempus fundamentum Eccleſiæ ſecundarium, conc. ant. deficeret fundamentum primarium. nego ant. Nam ſemper remanet Chriſtus, qui eſt fundamentum primarium, & in poſito caſu Eccleſiam ſuſtentat, & in ea conſervat infallibilitatem fidei paſſivam. Vide infra §. XXXVII. *Dic. II.*

Inferunt. Ergo idem dici poteſt in caſu, quo Pontifex ex cathedra loquens erraret. Rdeo nego illatum, non quod Chriſtus abſolute non poſſet ſuſtentare Eccleſiæ ædificium, non obſtante errore R. Pontificis; ſed quia non ſic diſpoſuit de ſtatu Eccleſiæ. Voluit namque (ut probavimus Poſition. XV. & XVI.) Petrum, ejusque ſucceſſores eſſe petram, in docenda & conſervanda vera Fide immobilem.

Dicunt II. Infallibilitatem eſſe promiſſam Eccleſiæ, non Petro. Rdeo eſſe promiſſam utrique, ut probatum eſt, Eccleſiæ tamen per Petrum, non Petro per Eccleſiam: non enim Petrus fundatus eſt in Eccleſia, ſed Eccleſia in Petro.

Dicunt III Senſum horum verborum: *Tu es Petrus* &c. &c. eſſe, quod, quoties Petrus aut R. Pontifex annuntiabunt communem Eccleſiarum fidem ex Traditione, ejus prædicatio & fides erit fundamentum Eccleſiæ. Rdeo I. & infero: Ergo nihil ſpeciale Petro promiſſum eſt; de ceteris enim Apoſtolis, de omnibus Epiſcopis, de quolibet Concionatore verum eſt dicere, quod, quoties annuntiabunt communem Eccleſiarum fidem ex Traditione, eorum fides & prædicatio erit fundamentum Eccleſiæ. II. Si moveatur nova quæſtio & controverſia ſpectans ad Fidem, quis tunc decidet, an Pontifex annuntiet communem Ec-

Eccleſiarum fidem. Sane mirandum, ut P. *Billuart* recte ait, Viros eruditos tam levibus momentis detineri, & infallibilitatem R. Pontificis impugnare. Ex his etiam colliges inanitatem & ineptitudinem illius non nullorum reſtrictionis ſeu limitarionis, dum ajunt, definitionibus Papæ, ex cathedra loquentis, obedientiam deberi, ſed *ſecundum canones & jure ſervato.* Quaſi vero canones, aut jus humanum reſtringere, aut certis conditionibus coercere poſſet obedientiam, jure divino debitam definitionibus Fidei ab Apoſtolica Sede editis. Immo omnes Canones, Concilia omnia definitiones prædictæ Sedis *obedienter* (ut Chryſologi ad finem §. XXXIV. verbis utar), tanquam Petri ore proiatas ſuſceperunt ſemper, ut ſequenti poſitione videbimus. In cauſis & definitionibus Fidei omnes totius orbis Chriſtiani iis, quæ e Romana cathedra prodeunt, nulla exceptione, limitatione nulla obligantur; quia omnes undique fideles cum Romana fide *convenire neceſſe eſt*, ut ex antiquiſſimo Lugdunenſi in Gallia Epiſcopo, S. *Irenæo* ſupra §. XXXII. audivimus.

Dicunt IV. Cum Tournelio. Ipſe *Sixtus III.* Epiſt. ad Illyricos in Concilio Romano III. ſub Bonifacio II. relecta, docet, Eccleſiam non fundari in R. Pontifice, niſi quatenus ipſe cum toto Eccleſiæ ædificio cohæret ac conjungitur, a quo ipſe ſuam firmitatem trahere debet. Ait enim ſanctus ille Pontifex Tom. 4. Labbei col. 1714.: *Nullum corpus eſt, quod capite non regatur - - - Sed ut omne corpus capite regitur, ita ipſum caput, niſi ſuo corpore ſuſtentetur, firmitatem & vigorem ſuum perdit, & non tenet, quam habuerat dignitatem.* Rdeo: Sixtus non dicit, *fundamentum ſuſtentari a Domo, cui ſubſternitur.* ut vult Tournelius; ſed *caput ſuſtentari debere a ſuo corpore*, ut firmitatem & vigorem, dignitatemque ſuam retineat: quod in ſenſu a Pontifice intento verum eſt. Qui-

cunque enim illam Epiſtolam legerit, perſpiciet, Sixtum per *firmitatem & vigorem*, *dignitatemque* Capitis non intelligere firmitatem in *Fide*, ſed duntaxat autoritatem *externam*, quam Pontifex per æſtimationem, reverentiam ac venerationem, ſibi a Fidelibus exhibitam, obtinet. Nam in tota illa Epiſtola Epiſcopos, per Illyricum conſiſtentes, admonet, ut Epiſcopo Theſſalonicenſi, tanquam Vicario Sedis Apoſtolicæ, ipſique Sedi Romanæ reverentiam & obedientiam exhibeant. Unde poſt citata verba: *Nullum corpus eſt, quod capite non regatur*, immediate ſubjungit: *Eſtis quidem membra, ut novimus, ſancta: ſed veſtrum caput reſpicere & honorare vos condecet, quoniam honor capitis ad ſpem totius proficit Sanctitatis.* Et poſt illa verba: *Et non tenet, quam habuerat, dignitatem*, ſubdit: *Eſtote igitur, ut eſſe convenit Domini Sacerdotes -- Reſervate fratri & Epiſcopo noſtro* (Theſſalonicenſium Antiſtiti, Sedis Apoſt. Vicario) *reverentiam, quam debetis.* Ecce, qua ratione Caput ejusque dignitas a ſuo corpore ſuſtentetur ex mente Sixti Pontificis, *honore* nimirum & *reverentia*. Hoc modo utinam membra corporis omnia ſuum caput ſuſtentarent! Non ſenſim evileſceret tantopere in animis multorum Chriſtianorum ſuprema dignitas illius, qui eſt Vicarius JESU Chriſti, & viſibile Caput Eccleſiæ.

Porro, quod *Sixtus III.* loc. citato non velit, Papam, tanquam fundamentum Eccleſiæ, debere in Fide ſuſtentari ab ædificio Eccleſiæ, aut ab hoc trahere Fidei firmitatem, ulterius oſtenditur ex triplici alia ratione I. Quia incredibile eſt, ſanctum illum Pontificem voluiſſe loqui aut docere contra S. Scripturam, & effata aliorum Pontificum aut SS. Patrum, qui paſſim dicunt, & docent, Eccleſiam fundari in Petro, & non Petrum in Eccleſia, Eccleſiam trahere firmitatem Fidei ex Petro, ejusque Succeſſoribus, & non hos firmari in Fide ab Eccleſia (Relege §. XXXIV.)

XXXIV.) II. Quia manifeſte abſurdum, & contra prima principia Architectonices eſt, fundamentum ſuſtentari a domo, cui ſubſternitur, & non potius domum a fundamento. III. Quia idem S. Pontifex, *Sixtus III.* alibi, nempe in Epiſt. ad Joannem Antiochenum, expreſſe docet, Eccleſiam (hoc eſt, Fideles, ipſosque Epiſcopos) debere puritatem Fidei trahere & percipere ex ore Petri & Succeſſorum ejus, non vero hos ex ore ſubditorum Fidelium. *Hæc ſanctitatem tuam*, inquit ad laudatum Joannem Antioch., *volumus prædicare, quæ ſcribis: expertus es negotii præſentis eventu, quid ſit ſentire nobiſcum. B. Petrus Apoſtolus in Succeſſoribus ſuis, quod accepit, hoc tradidit. Quis ab ejus velit ſe ſeparare doctrina, quem ipſe inter Apoſtolos primum Magiſter* (Chriſtus) *edocuit?*

At *inquies*: Si RR. Pontifices, qui Petro ſuccedunt, in docendo infallibiles ſunt, tales etiam erunt alii Epiſcopi, qui Apoſtolis ſuccedunt, pariter donum infallibilitatis habentibus. Rdeo. nego illatum. Nam *infallibilitas Petri* annexa fuit primatui (Probatur enim ex iisdem S. Scripturæ textibus, ex quibus primatus probatur, & ex ipſo fine Primatus, ut ex omnibus Poſitionibus præcedentibus hujus ſectionis 2dæ conſtat); ſicut ergo primatus Petri tranſit ad Succeſſores, ita & infallibilitas primatui annexa. Contra vero ceterorum *infallibilitas Apoſtolorum* non fuit annexa Epiſcopatui, ſed *Apoſtolatui*, tanquam officio extraordinario: cum ergo non hoc, ſed illud officium, ut ordinarium & permanſurum in Eccleſia, ad Epiſcopos tranſeat, infallibilitas ad illos tranſire non poteſt.

§. XXXVI.

Contra Argumentum noſtrum, ex effatis RR. Pontificum, & SS. Patrum petitum, pariter non pauca objiciunt.

Dicunt I. Plures Pontifices ſe agnoverunt fallibiles. Sic *Gregorius XI.* in Teſtamento fatetur, ſe potuiſſe errare etiam in conſiſtorio; *Adrianus VI.* poſt adeptum Pontificatum (g) typis mandavit Romæ ſummam ſuam theologicam, in qua docet, Romanum Pontificem eſſe fallibilem. *Innocentius III.* ſerm. 3. de conſecratione Pontif. ſcribit: *In tantum mihi Fides neceſſaria eſt, ut cum de ceteris peccatis ſolum Deum judicem habeam, propter ſolum peccatum, quod in fide committitur, poſſem ab Eccleſia judicari*: ergo ex effatis RR. Pontificum potius probatur fallibilitas, quam infallibilitas Papæ. Rdeo, hos, aliosque Pontifices ſe agnoviſſe quidem fallibiles in diſpenſationibus ſeu privilegiis concedendis, in factis particularibus, vel etiam in rebus fidei, ſed ut Doctores privatos, non autem, ut Paſtores univerſalis Eccleſiæ loquentes ex cathedra. Neque obſtat, quod *Gregorius XI.* dicat, ſe potuiſſe errare etiam in Conſiſtorio; non enim quæ in conſiſtorio aguntur, ſemper ex cathedra definiuntur; ſed in eis ſæpe cauſæ examinantur, conſilia proponuntur, absque eo, quod ad ſententiam ſolennem deveniatur. Quod ad *Adrianum VI.* attinet, is prædictam ſummam ſcripſit ante ſuum Pontificatum, dum eſſet Profeſſor publicus Lovanii. Et veriſimile eſt, Pontificem factum mutaſſe ſuam ſententiam: nam ut Doctor privatus, cum doceret, Papam non poſſe diſpenſare cum ſimplici Sacerdote, ut conferret Sacramentum confirmationis, & ſibi objiceret, S. Gregorium in hoc diſpenſaſſe cum presbyteris Calaritanis, ut a moleſta hac objectione ſe expediret, dixit, Pontificem poſſe errare. At vero

(g) Argumento hoc, tanquam decretorio, mire ſibi plaudit Illuſtriſſimus *Gilbertus de Choyseul Du Pleſy-Praslain*, Epiſcopus Tornacenſis, præcipuus Fabricator Declarationis Cleri Gallicani A. 1682. in Epiſtola de poteſtate Eccleſiaſtica ad *Martinum Steyartium* Doctorem Lovanienſem.

vero cum ipſemet Pontifex factus, ſimilem diſpenſationem, teſte *Vadingo* in Annalibus, conceſſerit F. *Galapioni* Miſſionario in Indiis, veriſimile eſt, eum etiam a priori ſententia de fallibilitate ſummi Pontificis receſſiſſe. Neque obeſt, quod primo pontificatus ſui anno juſſerit de novo imprimi ſuam ſummam theologicam, absque ulla prædicti loci correctione. Potuit enim ex aliis cauſis hanc correctionem omiſiſſe: forte quia opus ſuum non recognovit, aliis gravioribus curis initio pontificatus ſui, quem ultra annum & menſes octo non protraxit, occupatus: vel quia hanc novam editionem curavit, antequam mutaſſet ſententiam occaſione datæ diſpenſationis Fratri *Galapioni.* Ceterum dato, Adrianum, Pontificem factum, in ſua permanſiſſe ſententia, ſequitur ad ſummum, eum, ut Doctorem privatum, erraſſe; non enim id definivit, neque præcepit, ut omnes Fideles ea omnia inviolabiliter teneant ac defendant, quæ in Summa continentur, neque contraria ſentientibus anathema minatus eſt. Profecto, ſi ſumma Adriani VI. tempore Pontificatus ejus recuſa, eſſet locutio R. Pontificis ex cathedra, ſequeretur, non tantum omnia, quæ in jure Canonico continentur, Pontificum reſponſa ad varias Fidelium conſultationes, verum etiam v. g. Homilias Clementis XI. Libroſque Benedicti XIII. & XIV., quos ut Cardinales adhuc conſcripſere, cum ſub illorum pontificatu Romæ recuſi fuerint, fuiſſe Definitiones Papæ ex cathedra loquentis: quod tamen Catholicorum nemini in mentem venit. Denique *Innocentius III.* loc. cit. agnovit ſe quidem, tanquam perſonam privatam, fallibilem: tanquam perſonam publicam vero, & ex cathedra loquentem, infallibilem ſe profeſſus eſt, ut patet ex ejus verbis ſupra §. XXXIV. recitatis, & ex ejusdem Epiſtola 109. ad Patriarcham Conſtantinopolitanum, ubi *Petri Succeſſores a fide Catholica nullo unquam tempore deviaſſe profitetur.*

Dicunt II. cum *Boſſueto* L. 9. Defenſ. al. 14. c. 24. Romani Pontifices non ſolent allegare infallibilitatis ſuæ privilegium contra dubitantes de ipſorum recta Fide. Sic *Pelagius I.* Papa, de fide ſuſpectus propter approbatam V. Synodum generalem, ſe purgavit apud Regem Galliæ, & Epiſcopos Tuſciæ, non allegata ſua infallibilitate: ergo ipſi Pontifices ſe credunt fallibiles; alias ſuum infallibilitatis donum allegarent contra dubitantes de ipſorum Conſtitutionibus. Rdeo 1. Pontifices ſæpius aſſeruerunt ſe eſſe infallibiles, ut oſtendimus §. XXXIV. Quod autem contra dubitantes de ſua infallibilitate, eandem non allegent, mirum non eſt; cum nihil apud dubitantes prodeſſet infallibilitatis privilegium proferre, quod iisdem certum non eſt. Ceterum ex eo, quod quis edat profeſſionem Fidei ad amovendas malas de ſe ſuſpiciones, non ſequitur, quod ſe credat errori obnoxium. Sic S. Petrus (cujus exemplum & verba *Pelagius* Papa uſurpat) fratribus diſceptantibus Actor. 11. quod *ad gentes divertiſſet*, non allegata ſua infallibilitate, plenam ſatisfactionem dedit, nec tamen ideo ſe in prædicatione fidei errori obnoxium agnovit.

Sed *inſtant*: Saltem Galliarum & Tuſciæ Epiſcopi exiſtimabant, Pelagium potuiſſe errare in approbatione V. Synodi, & alii etiam ex antiquis interdum dubitarunt de definitionibus dogmaticis Papæ. Rdeo. Quid tum? Nunquid enim, quia nonnulli antiqui dubitarunt de quibusdam dogmatibus definitis in generali Concilio, hæ definitiones reipſa non erant infallibiles? Erant utique. Quare, ſicut, qui dubitarunt, vel etiam olim contradixerunt definitionibus Conciliorum generalium, errarunt; ita etiam erraſſe cenſendi ſunt, qui dubitarunt, vel ſeſe oppoſuerunt proprie dictis definitionibus pontificiis: nec errantium quantumvis antiquorum auctoritas adverſariis, Pontificiam infallibilitatem negantibus, prodeſſe poteſt. Cer-

te

te illi Epiſcopi Galliarum & Tuſciæ etiam exiſtimabant, V. Synodum generalem, quantumvis a Vigilio Papa confirmatam, erraſſe: ſicut ergo hi Epiſcopi non ſunt præ tota Eccleſia audiendi contra infallibilitatem Conciliorum, ita nec contra infallibilitatem ſummorum Pontificum.

Urgent: *S. Columbanus* in Epiſtola ad *Bonifacium IV.* ſcribit: *Multi dubitant de fidei veſtræ puritate*, videlicet eoquod hic Papa faveret V. Synodo: ergo non agnoſcebat eum infallibilem. *Rdeo I.* ut ante. *Rdeo II.* S.Columbanus, novus homo ex Hibernia vel Scotia in Italiam vix adductus, ignarus rerum geſtarum circa quæſtionem de 3. Capitulis, deceptusque a Schiſmaticis horum Capitulorum defenſoribus, erravit hæc ſcribendo; ſicut plures alii Viri probi in hac cauſa male intellecta errarunt, diu non recipiendo V. Synodum. Debent hoc fateri ipſi Adverſarii; quia, quando S. Columbanus hæc ſcripſit, laudata Synodus certo erat oecumenica, quia jam ante annos circiter ſexaginta celebrata, & confirmata non ſolum a *Vigilio*, ſed a pluribus etiam aliis continuatæ Succeſſionis Romanis Pontificibus, nec non a tota Eccleſia Catholica, eisdem conſentiente, recepta. Ceterum S. *Columbanus*, quamvis illam Epiſtolam acrem & vehementem ſcripſerit, ſemper tamen unionem cum R. Pontifice ſervavit, & cum eodem unitatem Fidei retinendam eſſe judicavit. Nam in eadem Epiſtola ait: *Ego enim credo, ſemper columnam Eccleſiæ* (id eſt, fidem) *firmam eſſe in Roma.* Item: *Nos enim* (id eſt, Scoti & Hiberni) *devincti ſumus cathedræ Petri*: quæ communem ſuæ nationis, imo traditionis Catholicæ ſententiam, debitamque cum Romana Cathedra unitatem Fidei, & ejusdem Cathedræ firmitatem declarant.

Dicunt III. Aſiatici Epiſcopi reſtiterunt *Victori* Papæ, & reputaverunt eum fallibilem circa celebratio-

nem Paſchæ. 2. Concilium Arelatenſe, juſſu *Conſtantini* Imperatoris, ſuo ſubjecit judicio ſententiam *Melchiadis* Papæ in cauſa *Cæciliani*. 3. *S. Baſilius* Epiſt. 3 4. ad Terentium Comitem., & Epiſt. 219. ad Euſebium Samoſatenum acrius contra Romanos ſcripſit in cauſa *Paulini* & *Meletii*, de Epiſcopatu Antiocheno contendentium: ergo Veteres Papam non exiſtimabant eſſe infallibilem. Rdeo; conc. ant. diſt. conſ. exiſtimabant, Papam non eſſe infallibilem in quæſtionibus ad fidem non pertinentibus, quales ſunt e. g. facta particularia & perſonalia, vel ſimilia. conc. non eſſe infallibilem in quæſtionibus Fidei, per locutionem ex cathedra deciſis. neg. conſ In primo namque caſu controvertebatur, an paſcha eſſet celebrandum more Judaico Luna decima quarta Martii, an Die Dominico ſequenti; quod ad diſciplinam, non ad fidem pertinet; quamvis Epiſcopi illi errarint, in re diſciplinæ nolentes obedire R. Pontifici. In ſecundo quærebatur, an *Felix Aptungitanus*, qui Cæcilianum ordinaverat, ſacros libros infidelibus tradiderit, & an ipſe Cæcilianus eleemoſynas, in victum Confeſſorum erogatas, ſubtraxerit; quæ ſunt facta privata & perſonalia. Accedit quod Conſtantinus *dederit hoc Concilium, non quia neceſſe erat*, inquit Auguſtinus Epiſt. 162. *ſed eorum* (Donatiſtarum) *perverſitatibus cedens, & omni modo cupiens, tantam impudentiam cohibere*. In 3tio iterum tota quæſtio erat perſonalis, utrum nimirum *Meletius* vel *Paulinus* ſit legitimus Antiochenus Epiſcopus?

Dicunt IV. Saltem non probatur infallibilitas Papæ ſe ſolo ex illis *S. Auguſtini* verbis ad finem §. XXXIV. citatis: *Reſcripta* (Innocentii I.) *venerunt*; *cauſa* (Pelagianorum) *finita eſt*. Nam S. Doctor, inquiunt, cauſam finitam pronuntiavit, non quod judicium Innocentii I. exiſtimaret abſolute falli non poſſe ſe ſolo ſpectatum, ſed quia huic judicio Papæ univerſa Eccleſia, ſin minus expreſſe, ſaltem tacite conſenſit. *Rdeo* merum hoc

hoc eſt commentum, de quo Auguſtinus ne cogitavit quidem. Si enim ex octo menſium ſpatio, qui ab Innocentii Reſcriptis ad habitum illum ab Auguſtino ſermonem, in quo citata verba protulit, elapſi ſunt, aliquot menſes demas, quibus Innocentii Reſcripta in Africam perlata, ac dein promulgata ſunt; non ſatis ſupereſſe potuit temporis, quo S. Auguſtinus certior fieret, utrum Reſcripta S. Innocentii a ceteris Eccleſiis recepta fuiſſent, præcipue quia tunc temporis & Eccleſia latiſſime erat diffuſa, & itinera omnia terra marique, ob negligentiam & imperitiam hominum, erant impeditiſſima. Neque obeſt, quod S. Auguſtinus epiſt. 190. alias 157. ad *Optatum ſcribat, Cæleſtium* & *Pelagium* toto orbe Chriſtiano damnatos fuiſſe. Nam id primum anno ſequente 418. contigit, quo S. Doctor Epiſtolam illam conſcripſit, quando nempe *Zoſimus, Innocentii* Succeſſor, deprehenſa *Cæleſtii* & *Pelagii* perfidia, ſententiam ſuam adverſus illos latam ad omnes Epiſcopos in Epiſtola, ut vocatur, *Tractoria* transmiſit, ut illi ſubſcriberent: non quod Epiſcoporum hæc ſubſcriptio robur adderet judicio Sedis Apoſtolicæ, cum, teſte *Auguſtino, Pelagii* cauſa poſt Reſcriptum Innocentianum finita jam fuerit; ſed ut omnibus legitime conſtaret de damnatione *Pelagii*, a Sede Apoſtolica facta, atque ut, excommunicatis Epiſcopis ſubſcribere detrectantibus, periculum hujus hæreſeos ab univerſa Eccleſia propulſaretur. Præterea illud quoque notandum, quod Hipponenſis Præſul L. 2. ad Bonifacium, contra 2. Epiſtolas Pelagianorum cap. 3. expreſſe dicat, illo Innocentii I. Reſcripto *totam dubitationem ſublatam* eſſe: atqui, ſi primum exſpectari debuiſſet Epiſcoporum conſenſus, haud potuiſſet ita loqui. Si enim liberum aut licitum putaſſet, negare illi Reſcripto aſſenſum; quomodo ab eodem *totam dubitatiorem ſublatam* dixiſſet? Certe non dixit, totam ſublatam, eoquod poſt illas literas dubitaverit nemo; nam Pelagiani, & in-

inter hos novendecim Epiſcopi, inter quos eminebat *Julianus* Eclanenſis, nedum poſt Reſcriptum *Innocentii*; verum & poſt *Zoſimi* Tractoriam, per totum orbem miſſam ac aliorum omnium Epiſcoporum ſubſcriptionibus roboratam, ſuum errorem ac hæreſin adhuc tueri & propugnare auſi ſunt: ſed ex eo *ſublatam* dixit, & *totam* quidem *ſublatam dubitationem*, non facto tamen, ſed jure, eoquod nemo Catholicus poſtea dubitaverit, nec potuerit dubitare, qui vellet eſſe Catholicus, & Unitatem Fidei cum Romana Sede (h) ſartam tectam ſervare.

Inſtant: ideo per Reſcriptum Innocentii I. cauſa Pelagianorum ſtatim finita eſt, quia *Error* eorum erat *apertus*, ad cujus condemnationem non requirebatur aſſenſus omnium Epiſcoporum, ſed ſufficiebat definitio Pontificis, præeunte ſententia duplicis Concilii particularis, *Carthaginenſis* & *Milevitani*: *Neque enim*, ait S. Auguſtinus L. 4. ad Bonifacium c. 12. *congregatione Synodi* (generalis) *opus erat, ut aperta pernicies damnaretur*. *Rdeo I.* Eſto, hæreſim Pelagianam eſſe apertam perniciem, quantum ad dogma peccati originalis, non tamen quoad dogma gratiæ; alibi enim S. Auguſtinus, ſcilicet L. de gratia & libero arbitrio c. 1. dicit, hoc dogma adeo eſſe difficile, ut, dum aſſeritur, videatur everti liberum arbitrium; & viciſſim, cum aſſeritur liberum arbitrium, videatur negari gratia: unde reliquiæ hujus hæreſis in Semipelagianis, non niſi diu poſtea & difficillime potuerunt diſſipari. Ceterum potuit Auguſtinus dicere, hæreſim Pelagianam eſſe apertam perniciem, quia in duobus Conciliis jam fuerat diſcuſſa & eliquata, & a gemino R. Pontifice *Innocentio* & *Zoſimo* aperte damnata. *Rdeo II.* Si objectio quid valeret, & ſententia ſummi Pontificis eſſet reformabilis, excepto caſu, quo error, qui condemnatur, eſt manifeſtus, aut quo ſententiam Pontificis con-

(h) Vide ſupra §§. XXXII. & XXXIII.

confirmat Eccleſiæ conſenſus, nemo non videt, quam facile a refractariis eludi poſſent quævis ſententiæ Pontificis e cathedra loquentis, & ab hoc appellatio fieri ad Concilium generale, exemplo Pelagianorum. Quis enim neſcit, quam difficile ſit definire, num error ſit manifeſtus, an obſcurus. & quantum hoc quoque tempore diſputetur circa Eccleſiæconſenſum, & circa conditiones in eo requiſitas &c.?

§. XXXVII.

Reſtant adhuc alia quædam Adverſariorum Reſponſa *generalia*, quæ quidem a nobis ex parte jam ſunt præoccupata. Sunt autem ſequentia.

Dicunt I. Cum *Tournelio* & aliis, Papæ definitiones eſſe quidem irreformabiles, ſed *non niſi accedente Eccleſiæ conſenſu.* Verum contra eſt 1. ſic non majus privilegium Adverſarii tribuunt Pontifici, quam cuilibet Epiſcopo, aut Viro docto. Etenim & Epiſcopi cujusvis & viri docti judicium eſt irreformabile, ſi accedit conſenſus Eccleſiæ. 2. Quæro ex Adverſariis, ubi legerint in verbo ſcripto vel tradito, infallibilitatem in Petro Romanis Pontificibus promiſſam fuiſſe *dependenter* a conſenſu Eccleſiæ? Chriſtum ſua oratione impetraſſe, ut Petri, ejusque Succeſſorum fides non ſit defectura *mediante* illo conſenſu? Certe Petrus & Succeſſores ipſius fuere a Chriſto fundamentum conſtituti; Eccleſia vero eſt ædificium: ſed an fundamentum habet firmitatem ab ædificio vel potius hoc ſuam ab illo accipit firmitatem? In ſententia adverſa Sedes Romana non eſſet centrum Unitatis Fidei, ſed ipſe Pontifex deberet ire ad peripheriam. Quo quid abſurdius? 3. Si definitiones pontificiæ ad ſuam firmitatem indigent aſſenſu Eccleſiæ, facile eæ poterunt eludi a refractariis, ut ad finem præcedentis §. indicavimus. Nam ad cognoſcendum ejusmodi conſenſum non ſolum requiritur aliquod

quod non breve tempus, & non exigua, nec facilis indago: verum etiam ob injectas plerumque difficultates ab iis, qui pontificiæ definitioni adverſantur, nec non ob conditiones ejusdem conſenſus, de quibus Adverſarii invicem diſputant, dubitari facile poteſt, aut ſaltem dubium fingi, num ſufficiens conſenſus Epiſcoporum præſto ſit: & ita pateret refractariis via impediendi Unitatem Fidei in Eccleſia, cui tamen conſervandæ Chriſtus proſpicere voluit, inſtituendo primatum Petri & Succeſſorum ejus (i). Falſum eſt itaque, eam vim cogendi ad unitatem, quam Chriſtus Petro & Succeſſoribus ejus attribuit ratione primatus, conditioni conſenſus Eccleſiæ fuiſſe alligatam. 4. Quam hæc conditio contraria quoque ſit Traditioni Patrum, inde patet, quia alias *S. Irenæus*, dum L. 3. contra hæreſ. cap. 3. ſcripſit: *Ad hanc enim Eccleſiam* (intelligit Romanam particularem Eccleſiam) *propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam*; reapſe dixiſſet: *Neceſſe eſt omnes undique Eccleſias convenire in Fide cum Eccleſia Romana, quando cum ea conveniunt, ſeu quando illarum conſenſus accedit*: quæ locutio & doctrina ridicula plane, illuſoria, ac tanto Doctore fuiſſet indigna. Igitur S. Irenæus neceſſitatem conveniendi in una Fide cum Eccleſia Romana non deduxit ex conſenſu aliarum Eccleſiarum, ſed ex prærogativa primatus (*propter potentiorem Eccleſiæ Romanæ principalitatem*, ut ait). Quare, cum primatus ab aliarum Eccleſiarum conſenſu non pendeat, tum vero ad compingendam continendamque unitatem Fidei inſtitutus ſit, non ex earundem Eccleſiarum conſenſu, ſed per ſeſe vim ad unitatem Fidei cum Sede Romana ſervandam habeat neceſſe eſt. Similiter alii Patres, cum Fidei unitatem

cum

(i) Vide §. XXX.

cum Romana Sede tradunt neceſſariam eſſe (l), nullam faciunt mentionem conſenſus Eccleſiæ, ſed vel quia *ſuper hanc petram ædificatam Eccleſiam ſcio*, ut S. Hieronymus ſcripſit; vel quia *illa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ*, ut S. Auguſtinus ait; vel quia eſt *fides illa apoſtolico ore laudata, ad quam perfidia nequit habere acceſſum*, ut S. Cyprianus inquit; vel quia Petrus per os Succeſſorum loquitur, ut Patres Chalcedonenſes teſtabantur; vel quia Petrus in ſuis Succeſſoribus vivens, ut ajebat S. Petrus Chryſologus, *præſtat quærentibus Fidei veritatem*; ac propterea omnium Catholicorum obedientiam & aſſenſum exigit per ſeſe, antequam aliarum Eccleſiarum aut Epiſcoporum innoteſcat conſenſus.

Inſtant. Saltem in definitionibus pontificiis, ut ſint irrefragabiles & infallibiles, accedere debet *Romanæ Synodi, aut Romani Cleri conſenſus.* Rdeo, nego aſſertum hoc, & quæro ex Adverſariis, ubinam Chriſtus, quando Petrum, ejusque Succeſſores immobile fundamentum Eccleſiæ ſuæ inſtituit, aut quando Petro promiſit, ejus Fidem non defecturam, addiderit hanc conditionem: *Si R. Synodi, aut Cleri conſenſus acceſſerit*? Certe vis cogendi omnes undique Fideles ad unitatem Fidei. cum R. Sede ſervandam, & infallibilitas, huic vi conjuncta, collata eſt Petro ejusque Succeſſoribus propter primatum, cujus finis præcipuus eſt dicta Unitas. Quare ſicut primatus perſonæ unius Petri ac Succeſſorum ejus alligatus a Chriſto fuit; ſic etiam prædicta vis coactiva, ac conjuncta infallibilitas ipſis ita propria eſt. ut ad eam exercendam in ſuis dogmaticis Definitionibus alterius conſortio aut conſenſu non indigeant; quamvis eisdem ſemper conſenſit & conſentiet Eccleſia Catholica; utpote quæ vi promiſſionum Chriſti veram fidem, ſeu doctrinam fidei, quam Pe-

(l) Vide §§. XXX. & XXXII.

Petrus & Succeſſores ejus e cathedra proponunt & docent, ſemper retinebit.

Dicunt II. cum *Boſſueto*, & *Launoio*, diſtinguendum eſſe inter Sedem, ſive Eccleſiam Romanam, & Sedentem in ea; inter Sedem Apoſtolicam, ſive cathedram Petri, & ipſos Romanos Pontifices, juxta celebre illud *S. Leonis* Epiſt. 53 ad *Anatolium* effatum: *Aliud ſunt Sedes, aliud Præſidentes*, & ex S. Scriptura, ac PP. Traditione evinci quidem, quod Sedes ſive Ecſia, vel Cathedra Romana ſit infallibilis, non vero, quod ſinguli R. Pontifices privilegio infallibilitatis gaudeant. Sed contra eſt. Quamvis diſcrimen aliquod inter Sedem Romanam, & Pontificem in ea ſedentem dari concedamus, v. g. quod R. Pontifex moriatur, Sedes autem Romana ſemper vigeat: quod diverſa ſint merita vel demerita perſonalia Pontificum, eadem tamen maneant jura Romanæ Sedis: quod Romana Eccleſia ſemper ſit Deo accepta & chara, non autem hoc ipſo Romanus Pontifex ut privata perſona &c.; in hac tamen materia, ubi de infallibilitate activa judicii & doctrinæ loquimur, diſtinctionem inter Sedem, & Sedentem abſurdam eſſe, contendimus I. Quia, quidquid peculiare præ ceteris Romanæ Cathedræ, ſeu Sedi tribuitur, non aliunde, quam ex Primatus Pontificii prærogativa tribuitur, quæ non in alio eſt, quam in Romano Pontifice, qui in ea Cathedra ſedet. Quemadmodum ergo primatus eſt ſolius Petri & Succeſſorum ejus proprius, perſonalis & ſingularis; ita etiam privilegium infallibilitatis, quod Sedi Romanæ ab Antiquis aſſeritur ratione primatus, ejusdem Petri ac Succeſſorum ejus ſingulare & perſonale judicandum eſt, ut ne a perſona Petri & Romanorum Antiſtitum ſeparari queat, nec attribui poſſit Romanæ Sedi, aut Cathedræ, ſi quid his vocibus diſtinctum a perſona Petri & Pontificum intelligatur. II. Quia, quando *S. Irenæus*, aliique Patres dicunt, omnes Fideles debere *jungi cathedræ*

thedræ Petri, vel *Eccleſiæ Romanæ*, Sedem Romanam eſſe *petram, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ*, per Cathedram vel Sedem Petri nil aliud intelligunt, quam fidem & doctrinam Petri, & Succeſſorum ejus; ſicut etiam Matth c. 23. per *cathedram Moyſis*, non materialis aliqua cathedra, ſed doctrina legis Moſaicæ, quam Scribæ & Phariſæi tardebant, ſignificatur. Hinc *S. Hieronymus* Epiſt. 15. ad Damaſum Papam *cathedram Petri*, & *fidem Apoſtolico ore laudatam* velut unum & idem accipit. Igitur perperam Adverſarii diſtinguunt inter fidem ſeu doctrinam Sedis Romanæ, & fidem ſeu doctrinam RR. Pontificum, dicentes, non hanc ſed illam eſſe infallibilem; quaſi vero Fides & doctrina Cathedræ Romanæ eſſet alia, quam Fides & doctrina Romanorum Pontificum. III. Quia promiſſiones Chriſti, Petro ejusque Succeſſoribus factæ, non ad Eccleſiam Romæ exiſtentem directæ ſunt, ſed ad ipſum Petrum ejusque Succeſſores; cum Chriſtus non dixerit, ſe fundaturum eſſe Eccleſiam ſuam ſupra Eccleſiam Romanam, ſed ſupra Petrum. Neque Chriſtus pro Romana Eccleſia, ut ſeparata a Capite ſuo, rogavit, ne fides ejus deficeret, ſed pro Petro, ejusque Succeſſoribus. IV. Denique quæro ex Adverſariis, quid intelligant per Sedem & Cathedram Petri, ſeu Eccleſiam Romanam? An quæ in ambitu urbis Romæ continetur? An Eccleſiam univerſam Catholicam? Si intelligant Eccleſiam, quæ in ambitu urbis Romæ continetur: nunquam ſummus Pontifex aliquid Fidei definit ex cathedra, quin habeat Eccleſiam urbis Romæ conſentientem, tum quia illam conſulit in præcipuis ejus membris, Cardinalibus; tum quia ipſa definitis a Pontifice ſtatim annuit; ſicque Pontifex definiens ex cathedra ſemper eſt infallibilis.

Si intelligant Eccleſiam Catholicam & univerſam: contradicunt aperte Traditioni, & toti retro antiquitati. Etenim SS. Patres, Concilia, Pontifices paſſim

paſſim dicunt, Cathedram Petri, ſeu Eccleſiam Romanam, quam agnoſcunt eſſe infallibilem, eſſe Matrem & Magiſtram omnium Eccleſiarum, centrum Unitatis eccleſiaſticæ, ad quam omnes Eccleſias neceſſe eſt convenire, & plura ſimilia: palam eſt autem, hæc dici non poſſe de Eccleſia univerſa. Quid enim eſt Eccleſia univerſa, quam omnes Eccleſiæ ſimul ſumptæ (Totum enim non diſtinguitur a partibus ſimul ſumptis). Non poteſt ergo dici de Eccleſia univerſa, quod ſit Mater & Magiſtra omnium Eccleſiarum, cum præter illam nullæ ſint Eccleſiæ; neque quod ſit centrum unitatis, ſicut omnes lineæ ſive radii non poſſunt eſſe centrum cujusque lineæ ſive radii, neque quod ad eam alias Eccleſias convenire neceſſe ſit, cum præter illam, ut dictum eſt, non ſint aliæ.

Quod ad dictum S. Leonis attinet, *aliud ſunt Sedes, aliud Præſidentes*, id prorſus non eſt ad rem. Nam ſi attente legatur tota illa S. Pontificis Epiſtola, palam fiet, S. Leonem nihil aliud velle, quam diſtinguendum eſſe inter legitima jura Sedium, & inter vitia ſeu demerita Præſidum, quæ legitimis Sedium juribus nihil præjudicare poſſunt; quod utique veriſſimum eſt. Non autem intendit dicere, Sedem Romanam gaudere prærogativa infallibilitatis, qua ſedens in ea Romanus Pontifex careat. Scripſit enim hanc Epiſtolam ad *Anatolium* Conſtantinopolitanúm Epiſcopum, qui contra Nicænorum Canonum decreta ſecundæ Sedis locum & jus, quod Alexandrinæ Sedi competebat, ſibi in Chalcedonenſi Concilio deferendum curaverat, illud tempus opportunum captans, quo *Dioſcorus* Epiſcopus Alexandrinus in eodem Concilio ob ſuam impietatem depoſitus fuerat. Id autem nihil præjudicii creare poſſe eidem Sedi Alexandrinæ S. *Leo* indicaturus, ait: *Nihil Alexandrinæ Sedi ejus, quam per S. Marcum Evangeliſtam, B. Petri diſcipulum, meruit, pereat dignitatis;*

tatis ; *nec*, *Dioſcoro impietatis ſuæ pervicacia corruente*, *ſplendor tantæ Eccleſiæ tenebris obfuſcetur alienis*. Poſt quæ verba hanc rationem mox ſubjiciens ; *aliud enim ſunt Sedes*, *aliud Præſidentes*, manifeſte reſpicit demerita *Dioſcori*, quæ cum pertineant ad vitium Præſidentis, juri ipſis Sedis Alexandrinæ, Nicænis Canonibus munito, præjudicare non poſſunt.

Inſtant: Si prærogativa infallibilitatis in Fide, annexa Sedi Petri, non eſt alia, quam quæ alligata eſt perſonæ Petri, ejusque Succeſſorum, moriente Pontifice, deficeret, ſeu periclitaretur fides Eccleſiæ. Rdeo. diſt. deficeret Fides, hoc eſt, infallibilitas Eccleſiæ *paſſiva*, ita, ut tota Eccleſia in errorem Fidei labi poſſit. Nego. deficeret aliquo modo infallibilitas Eccleſiæ *activa*, ſeu poteſtas infallibiliter judicandi & dirimendi novas controverſias aut dubia Fidei, tunc fortaſſis emergentia. conc. Nam Eccleſia vacans, ſeu carens viſibili Capite non poteſt controverſias Fidei aut Morum infallibiliter decidere, ſed ſi neceſſitas urgeat, poteſt eas quidem proviſionaliter definire, ſed ita, ut confirmationem definitionis ſuæ a futuro eligendo Pontifice expectet, qua obtenta, ejusmodi definitio primum evadet irreformabilis, ſummæque authoritatis (m).

Dicunt III. cum *Boſſueto*, Romanorum Pontificum Fidem immotam quidem & indefectibilem eſſe in eorum ſerie & ſucceſſione, non vero in ſingulis Pontificibus. Quamvis enim, inquiunt, unus vel alter eorum erret,

(m) Idem reapſe docet *Canus* L. 4. de locis Theolog. cap. ultimo dicens : *Mortuo ſummo Pontifice, una ſine dubio Eccleſia manet, & manet in ea Spiritus veritatis ; ſed manca & diminuta, ſine Chriſti Vicario & Eccleſiæ uno Paſtore, relinquitur. Quocirca licet veritas tunc etiam in Eccleſia ſit (non enim eſt in ſolo Pontifice paſſive): at ſi controverſiæ Fidei & Religionis oriantur, Eccleſiæ judicia ſine capite in terris non adeo certa erunt.*

ret, hunc tamen errorem Pontifex, qui erravit, vel per ſe corriget, vel a Succeſſoribus error corrigetur; ſicque indefectibilis ſemper erit vera Fides in Sede Romana, ſive, quod idem eſt, in ſerie Romanorum Pontificum, ſi non phyſice, ſaltem moraliter; quæ moralis indefectibilitas ad Traditionem Patrum, & promiſſiones Chriſti explicandas ſufficit. Sed contra eſt I. Hæc diſtinctio *Boſſueti* ex ipſa novitate ſua ſuſpecta eſſe debet, eo ſolum conſilio invecta, ut Patrum traditionem, quæ Romanæ fidei indefectibilitatem apertiſſime teſtatur, cum præſumptis quorundam Pontificum erroribus aliquatenus conciliaret. II. Si unus ex RR. Pontificibus poteſt errare, cur non plures, cur non iſte & iſte? Non enim unus eſt magis infallibilis, quam alter. Si dicas, quia infallibilitatis promiſſio facta eſt ſucceſſioni ſeu ſeriei Pontificum, & non ſingulis Pontificibus; reſpondeo, hoc eſſe figmentum, cujus nullum extat fundamentum in ſacro textu, quin ibidem oppoſitum exprimitur; quia Chriſtus abſque exceptione aut limitatione oravit, ut non deficiat fides Petri & Succeſſorum ejus; Petrumque ejusque Succeſſores ſimpliciter voluit eſſe petram immobilem, adverſus quam portæ inferi nunquam eſſent prævalituræ. Nec Patres, docentes, adhærendum Romanæ Fidei, ullam faciunt exceptionem, aut limitationem. III. Si vel unicus in ſerie Pontificum errare poſſet docendo ex cathedra, nullius Pontificis certa eſſet definitio, & nunquam firmo Fidei aſſenſu poſſemus credere dogmata, a Sede Romana definita; ferme ſicut ſi vel unica propoſitio in S. Scriptura eſſet, aut eſſe poſſet falſa, vacillaret authoritas totius Scripturæ. Si dicas, Pontificis cujuslibet definitiones eſſe certas, ſed non niſi poſt aſſenſum Eccleſiæ, hanc replicam jam ſupra ad initium §phi XXXVII. confutavimus. IV. Allata *Boſſueti* diſtinctio repugnat fini primatus Pon-

Pontificii, qui eſt omnes Fideles cogere ad unitatem Fidei (n) ſervandam. Quomodo Pontifex fallibilis poſſet omnes cogere ad eandem ſecum fidei doctrinam tenendam? An non hæc auctoritas primatus, ſeu vis cogendi ad unam Fidem, eſſet non tam in conſervationem, quam in deſtructionem veræ Fidei, & in ſcandalum, caſu, quo Pontifex erraret? Si dicas, hunc errorem ab eodem Pontifice, aut ab aliquo ejus Succeſſore poſſe iterum corrigi, quæro: Nonne antequam hæc correctio fieret, vera fides in ſerie Pontificum defeciſſet, & auctoritas primatus, quæ per ſe habet vim obligandi. ad errorem deberet interim obligare totam Eccleſiam?

Dicunt IV. Quando Patres promiſſiones Chriſti, Petro factas, ſummis Pontificibus aptant, non volunt horum Definitiooes eſſe abſolute infallibiles, ſed duntaxat indicant piam fiduciam, qua ſcilicet pie creditur, nunquam futurum, ut judicia Romanorum Pontificum, e cathedra loquentium, a veritate Fidei deficiant. Nam, inquiunt, non abſimiles fere formulæ a quibusdam antiquis applicantur particularibus Epiſcopis, quos tamen nemo infallibiles ſomniavit. 2. Quandoque hæ formulæ leguntur de ſummis Pontificibus etiam in aliis materiis, in quibus eos poſſe errare, omnes fatentur.

R. I. & quæro, an etiam ſit tantum fiducia & probabilis præſumptio, quod promiſſiones Chriſti de Fide Petri & Succeſſorum ejus Matth. c. 16. & Lucæ c. 22. non fallant? An de hoc non datur abſoluta certitudo? R. II. nego, quod Patres duntaxat pia fiducia, & non abſoluta certitudine aſſeruerint, Succeſſores Petri RR. Pontifices juxta promiſſa Chriſti in Fide ex cathedra loquentes non erraturos. Contrarium patet

(n) Vide §. XXX.

tet legenti eorum verba §. XXXIV. citata. *Ad primam rationem additam* dico, diſcrimen eſſe faciendum inter Papam, & alios Epiſcopos, dum ferunt ſententiam in materia fidei. Nam R. Pontifex vi primatus, ob unitatem Fidei formandam & conſervandam inſtituti, obligat per ſuas Definitiones dogmaticas ad aſſenſum univerſam Eccleſiam; unde in illis neceſſario debet eſſe infallibilis, ne totam Eccleſiam in errorem contra Fidem inducat: alii vero Epiſcopi particulares per ſe non obligant omnes, nec totam Eccleſiam, ſed ſuos ſubditos & ſuas Eccleſias particulares, quæ non ſunt infallibiles, uti eſt infallibilis Eccleſia Catholica. Ex quo manifeſtum eſt, cur Patres, R. Pontifici infallibilitatem juxta promiſſa Chriſti Petro ejusque Succeſſoriſius facta tribuentes, debeant intelligi de certa infallibilitate; non item alii Antiqui, ſi fortaſſis ſimiles loquendi formulas applicent aliis Epiſcopis particularibus, dicantque, eorum doctrinam eſſe puram, ab inferno inſuperabilem, inſtar petræ ſolidiſſimæ &c. *Ad alteram rationem* pariter facilis eſt reſponſio, ſi conſideretur, Chriſti promiſſiones, ac traditionem Patrum reſpicere ſolas definitiones fidei, editas ex fine & officio primatus, quæ in univerſa Eccleſia (o) unitatem exigunt fidei, non vero opiniones aliave documenta Pontificia, a definitione fidei diverſa, quibus non ita debetur Unitas & firmiſſimus aſſenſus, uti deſionitinibus fidei.

POSITIO XVIII.

Noſtra Sententia de infallibilitate Romani Pontificis valide confirmatur ex Conciliis, ex nimium recentibus adverſæ opinionis initiis, aliisque rationibus theologicis.

§. XXXVIII.

Concilia oecumenica, & alia infallibilitatem Romani Pontificis & agnoverunt, & prædicaverunt. In Con-

(o) Vide §. XXXII.

Concilio *Epheſino* Act. 3. *Philippus* presbyter, & apoſtolicæ Sedis Legatus, nemine contradicente, de authoritate & firmitate in fide a B. Petro ad Succeſſores tranſmiſſa his verbis pronuntiavit: *Nulli dubium, imo ſæculis omnibus notum eſt, quod ſanctus beatiſſimusque Petrus, Apoſtolorum Princeps & Caput, fideique columna, & Eccleſiæ Catholicæ fundamentum, a Domino noſtro Jeſu Chriſto — claves Regni accepit -- qui ad hoc usque tempus, & ſemper in ſuis Succeſſoribus vivit, & judicium exercet.* Atqui ſi B. Petrus judicium exercet in ſuis Succeſſoribus, judicium illud certe nequit, errori eſſe obnoxium.

In Concilio *Chalcedonenſi* Actione II. lecta S. *Leonis M.* Epiſtola ad *Flavianum*, quam hic S. Pontifex PPbus Chalcedonenſibus tanquam fidei regulam, in damnanda *Eutychetis* hæreſi præ oculis habendam præſcripſit, acclamatum eſt a PPbus: *Hæc eſt Patrum Fides. Omnes ita credimus. Orthodoxi ita credunt. Anathema ei, qui non ita credit. Petrus per Leonem locutus eſt.* Neque id ob eruditionem S. Leonis dictum eſt a Patribus, ſed quia Succeſſor erat B. Petri, ut non obſcure inſinuat Synodus in ſua ad S. Leonem Epiſtola, in qua ait: *Quam* (fidem) *ex præcepto Legiſlatoris venientem usque ad nos ipſe ſervaſti, vocis B. Petri omnibus conſtitutus interpres.*

Omitto brevitatis ſtudio alia Conciliorum de Infallibilitate Papæ teſtimonia, quæ paſſim apud Patronos noſtræ ſententiæ legi poſſunt. Unicum duntaxat addo ex Concilio *Conſtantienſi*, quod Galli, aliique noſtri Adverſarii permagni faciunt. Audiamus cenſuram adverſus tres primas *Wicleffi* propoſitiones, a plurimis & doctiſſimis Cardinalibus, Epiſcopis, Abbatibus & Theologis, quibus ipſa hæc Synodus negotium illud demandaverat latam, & a Concilio confirmatam in VIII. ſeſſione: *Impoſſibile eſt*, inquiunt, *quod talis Sedes & talis Romana Eccleſia aliquid determinet,*

& teneat pro fide Catholica & recta. Alias in tali caſu Sedes illa Apoſtolica, & Romana Eccleſia eſſet hæretica & erronea, tenens tenaciter non Fidem pro Fide, aut Fidem pro non Fide. Quomodo ergo ipſa eſſet Mater & Caput omnium Eccleſiarum, in omnibus tanquam Magiſtra ſequenda, ad quam in dubiis & arduis eſt recurrendum, quando circa Fidem in aliquo dubitatur? -- Quomodo Chriſtianus, qui ei obedire contemnit, peccatum infidelitatis incurret? Longe plura ex eadem cenſura afferri poſſent. Sed prolixior cum ſit, non vacat totam deſcribere. Si dicas, ex hac cenſura ſolum ſequi, quod Sedes Romana, ſeu cathedra Petri ſit infallibilis, non vero, quod talis ſit ſedens in ea, ſive R. Pontifex, reſponſionem ad hanc tuam replicam invenies ſupra §. XXXVII. *Dicunt II.*

Valide quoque *noſtra ſententia* de infallibilitate Romani Pontificis confirmatur *ex ſua antiquitate* (prout ex effatis Patrum & Conciliorum §§. XXXIV. & XXXVIII. oſtenſum eſt) & *ex novitate contrariæ Opinionis*, cui occaſionem & cauſſam dederunt (ut omnes Eruditi norunt) circumſtantiæ diuturni & difficillimi ſchismatis ſub tempus Conciliorum Piſani & Conſtantienſis. Nam ante hoc tempus noſtra ſententia fuit communiſſima omnium, & etiam poſt Synodum Conſtantienſem non ſolum licuit eam ſequi, ſed plerique eandem amplexi fuerunt, teſte Petro Ballerinio (p), etiam in Gallia, adeo, ut inter ipſos Gallos omnes fere Scriptores ſive Theologi, ſive Canoniſtæ Pontificum infallibilitatem defenderint usque ad annum 1682. Ita multo magis in aliis univerſæ Eccleſiæ regionibus, veteri traditione retenta, omnes ferme in infallibilitate Romanæ Sedis defendenda perſtiterunt. Poſt Declarationem vero Cleri Gallicani anni 1682. nihil

(p) In Appendice de Infallibilitate R. Pontificis §. XII. pag. 288.

nihil mirum, ſi non pauci ex Gallis contrariam ſententiam cœperunt fortius vindicare, cum auctoritas ejusmodi Comitiorum apud eosdem Gallos prævaleret, & quodammodo cogeret. Ceterum, quod vetus Gallicana Eccleſia tenuerit noſtram ſententiam, patet ex verbis S. *Irenæi*, Lugdunenſis in Gallia Epiſcopi, Viri apoſtolicis temporibus vicini, & S. Polycarpi diſcipuli, qui L. 3. adverſus Hæreſ. cap. 3. ad ſtatuenda contra hæreticos fidei dogmata ait ſufficere ſolam Eccleſiæ Romanæ traditionem. *Eam*, inquit, *quam* (Eccleſia Romana) *habet ab Apoſtolis traditionem -- indicantes, confundimus omnes* hæreticos. Verum, ſi apoſtolicæ Sedis judicium non eſt irreformabile, quomodo, indicata ejus traditione, confundentur omnes hæretici? Pergit dein S. Doctor: *Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos, qui ſunt undique fideles. In qua ſemper ab his, qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio.* Ubi aperte firmitas in retinenda apoſtolica traditione, adeoque infallibilitas in definiendis fidei quæſtionibus Romanæ Eccleſiæ aſſeritur, ac tanquam præcipua ratio aſſignatur, cur ad eam omnes Eccleſiæ recurrere debeant. Similia habet *S. Avitus* Viennenſis in Galliis Epiſcopus, qui an. 517. non ſuo ſolum, ſed omnium Epiſcoporum Galliæ nomine profeſſus eſt Hormiſdæ Papæ, ſe ejus ſententiæ in materia fidei adhæſurum. *Quia jam ſecurus*, inquit, *non dicam de Viennenſi, ſed de totius Galliæ devotione polliceor, omnes veſtram ſuper Satu Fidei captare ſententiam. S. Bernardus* quoque ad finem §phi XXXIV. a nobis citatus aperte tenet noſtram ſententiam. Plura ejusmodi in rem noſtram teſtimonia antiquorum in Gallia Epiſcoporum, Conciliorum, Cleri Gallicani, Academiæ Pariſienſis, & totius Nationis Gallicanæ recenſet præter alios P. *Billuart* Tom. VII. Curſ. Theol. Diſſert. IV. Art. V. §. V.

At *inquies*: apud Antiquos hæc quæſtio de infallibilitate Pontificis non legitur ex propoſito diſcuſſa: ergo non eſt veriſimile, quod tota antiquitas Papam ſe ſolo eſſe infallibilem judicaverit. R. diſt. ant. attamen leguntur paſſim Veterum dicta & geſta, hanc infallibilitatem ſupponentia, ut Poſition. XVI. & ſeqq. demonſtravimus. conc. ant. ſecus. nego ant. & conſ. Idcirco infallibilitas Papæ apud Veteres ex inſtituto, & ſpeciali quæſtione diſcuſſa non legitur, quia nemo eam in dubium & quæſtionem adduxit.

§. XL.

Denique noſtra ſententia inſuper ſequentibus rationibus theologicis ſtabilitur. I. Si Romanus Pontifex falli poteſt in quæſtionibus fidei & morum, acta ac definitiones Conciliorum non deberent a Papa confirmari; rectæ enim rationi repugnat, ut ſententia illius, qui errare non poteſt (Concilium generale juxta pleroſque Adverſarios eſt ſe ſolo infallibile, & ſupra Papam) confirmetur ab eo, qui errori non eſt obnoxius. Atqui conſtans ſemper fuit omnium Eccleſiæ Patrum ac Doctorum ſententia, Concilia, quantumvis numeroſa, nec vim, nec robur habere, niſi approbatione ſupremi Eccleſiæ Capitis munita fuerint, ut §. XLIX. Opp. III. ad 4. declarabitur.

II. Si Romanus Pontifex infallibilis non eſſet in quæſtionibus Fidei & Morum, Chriſtus videtur non ſufficienter providiſſe Eccleſiæ ſuæ. Ponamus enim caſum, quem Adverſarii poſſibilem eſſe defendunt, videlicet exorta nova fidei quæſtione & dubio Papam male decidere, & ex cathedra hæreſin docere, quisnam erit hujus controverſiæ infallibilis Judex? Eccleſia diſperſa, an congregata? Non diſperſa; præterquam enim, quod moraliter impoſſibile ſit omnium, aut fere omnium toto orbe Chriſtiano diſperſorum Epiſcoporum conſenſum, aut ſuffragium reſcire, resque hæc

hæc diuturno tempore indigeat; plurimi tergiverſarentur, Epiſcopis diſperſis plus deferre, quam ſoli Romano Pontifici, atque ita error interea invaleſceret in Eccleſiæ perniciem. Non congregata Eccleſia; Concilia enim œcumenica & difficillime ac lente admodum congregantur, & ſæpiſſime variis de cauſis congregari nequeunt. Præterea ſi Papa hæreſin e Cathedra doceret, cui Epiſcopi reclamarent, & pro qua extinguenda Concilium œcumenicum convocari peterent, pronum eſt judicare, quod Papa id facere renueret. Quodſi autem, illo invito, cogeretur Synodus, Legatos ſuos nec mitteret, neque Acta Concilii confirmaret, plurimosque haberet Epiſcopos erroris Sectatores, utpote quibus perſuaſſimum eſſet, Papam in quæſtionibus Fidei & Morum eſſe infallibilem. Quale autem eſſet hoc Concilium œcumenicum, & quam exiguæ & nullius authoritatis, quod Papa non convocavit, cui nec per ſe, nec per Legatos præfuit, quod confirmare detrectavit, cui magna Epiſcoporum pars ſubſcribere noluit, quod a Capite ſuo ſejunctum Eccleſiam integram non repræſentavit?

III. Si ſummi Pontificis judicium non ſit infallibile in quæſtionibus Fidei & Morum, niſi ex conſenſu Eccleſiæ, ſequitur, quod ſummus Pontifex non magis gaudeat privilegio *infallibilitatis*, quam Epiſcopus minimæ Diœceſeos, ut jam alibi obſervavimus. Nam ſi hic aliquid definiat de fide, & ſuis Diœceſanis proponat credendum, ſi accedat conſenſus ceterorum Epiſcoporum, ſeu totius Eccleſiæ, judicium ejus erit infallibile. Idem dici poteſt de judicio ſimplicis Paſtoris aut Doctoris: atqui ſequela hæc eſt abſurda, & a Scripturis ac tota Traditione prorſus aliena: ergo. Omitto plures alias rationes, quas Patroni noſtræ ſententiæ pro eadem ſtabilienda afferre ſolent.

POSITIO XIX.

Noſtræ Sententiæ de Infallibilitate R. Pontificis non obſtant geſta & dicta SS. Patrum, Cypriani, Ambroſii & Auguſtini.

§. XLI.

Opponunt I. Launoius (q) aliique Adverſarii factum S. *Cypriani*, qui cum multis Africanis & Aſiaticis Epiſcopis, *Firmiliano* adhærentibus, exiſtimavit, ſe non teneri ad ſequendam ſententiam *S. Stephani* Papæ, vetantis rebaptizari eos, qui ab aliquo hæretico erant baptizati: ergo, inquiunt, *S. Cyprianus* cum omnibus illis Epiſcopis judicavit, Papam ex Cathedra loquentem falli poſſe.

R. I. Ex hoc argumento ſequeretur, quod Papa, etiam cum pluralitate Epiſcoporum conjunctus, ſeu Eccleſia ipſa (quam Papa, cum pluralitate Epiſcoporum conjunctus, repræſentat) in rebus Fidei errare poſſit: quod negant ipſi Adverſarii, omnesque Catholici. Nam *S. Cyprianus* probe novit, plures per orbem Epiſcopos in cauſa rebaptizantium tenere ſententiam S. Stephani Papæ: ergo ſicut judicavit, hunc ſummum Pontificem in hac controverſa quæſtione errare, ita etiam judicavit, Papam cum pluralitate Epiſcoporum errare poſſe. Quid ad hoc reſpondent Adverſarii?

R. II. Oppono S. Cyprianum S. Cypriano. Nam alibi clare docet infallibilitatem Romani Pontificis, dum ante exortam de baptiſmo quæſtionem ſcribens ad *Cornelium* Papam, *Stephani* prædeceſſorem, Epiſt. 55. & impugnans *Fortunatum* & *Feliciſſimum*, aliosque Africæ Schiſmaticos, qui *cum mendaciorum ſuorum merce* Romam transmiſerant ad fallendum Pontificem, eorum

(q) T. V. P. H. L. V. Ep. 1.

eorum audaciam his verbis coarguit: *Navigare audent, & ad Petri Cathedram -- a Schiſmaticis & profanis literas ferre; nec cogitare eos eſſe Romanos, quorum Fides, Apoſtolo prædicante, laudata eſt, ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum.* Si *perfidia*, ſeu error in fide ad Romanos (r) Pontifices *habere non poteſt acceſſum*; quis non videat, eum his haud quaquam cohærere, quæ poſtea idem S. Cyprianus contra S. Stephanum Papam ſcripſit in cauſa rebaptizantium, ſaltem ſi ponatur (prout objectio ſupponit), S. Cyprianum exiſtimaſſe, quæſtionem de rebatizandis iis, qui ab hæretico baptizati ſunt, pertinere ad Fidem. Erravit nimirum Cyprianus in hac cauſa, ut omnes fatentur. Errore ergo impeditus, non tam contra Stephanum ſcripſit, quam contra ſeipſum quodammodo, ſeu contra illa, quæ ante ejusmodi diſſidium ad Cornelium Papam ſcripſerat. Num vero credendum eſt iis, quæ pro errore, & ex erroris præjudicio ſcripſit contra decretum Stephani, an potius iis, quæ nullo erroris præjudicio abreptus, in literis ad Cornelium profeſſus fuerat?

R. III. diſt. antec. S. Cyprianus putavit, ſe non teneri ad ſequendam S. Stephani ſententiam; quia cenſuit, hanc rem non pertinere ad fidem, ſed ad diſciplinam duntaxat, quæ in diverſis provinciis & Epiſcopatibus poteſt eſſe diverſa. conc. ant. Secus. nego. ant. & conſ. Nec *S. Cyprianus* exiſtimavit, hanc quæſtionem de rebaptizandis iis, qui ab hæretico baptizati ſunt, pertinere ad fidem; nec ipſe *S. Stephanus* hac de re definitionem Fidei proprie dictam edidit.

(r) *Ad Romanos Pontifices*, inquam; quæ enim prærogativæ Romanis tribuuntur & competunt, ex ratione Primatus dimanant, qui Summorum Pontificum perſonalis eſt, ex dictis ſectione prima: idque multo magis valet, cum agitur de materia fidei, cujus doctrina ab Epiſcopo, qui de cen i Cathedram tenet, omnino pendet.

dit. Inprimis *S. Cyprianus* id non ad Fidem, ſed ad diſciplinam tantum pertinere arbitratus eſt; quia in Epiſt. ad Magnum ſcribit, quod hac in re *nemini* aliter ſentienti *præjudicare* velit, *quo minus unusquisque, quod putaverit, ſentiat, & quod ſenſerit, faciat.* Et in allocutione ad Patres Concilii Carthaginenſis III. de eadem quæſtione loquens, ait: *Supereſt, ut de hac ipſa re ſinguli, quid ſentiamus, proferamus, neminem judicantes, aut a jure communicationis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, amoventes. Neque enim quisquam noſtrum Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adigit, quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis & poteſtatis ſuæ arbitrium, tamque judicari ab alio non poſſit, quam nec ipſe poteſt alterum judicare.* Atqui ſi S. Cyprianus cenſuiſſet, rem hanc pertinere ad fidem, non potuiſſet dicere, liberum eſſe cuivis Epiſcopo, hac in re ſentire vel agere, quod putaverit, nec quemquam a jure communicationis, ſi diverſum ſenſerit, eſſe amovendum, ſeu excommunicandum: ergo exiſtimavit, hanc rem non ad fidem, ſed ad diſciplinam tantum pertinere. Similiter *S. Stephanus* Papa, quamvis prohibuerit rebaptizare baptizatos ab hæreticis, tamen rem hanc non aperte definivit tanquam dogma Fidei; ſtudioſe enim a definitione expreſſa abſtinuit pacis ſtudio, & ne tot nobiles Eccleſias Africanas & Aſiaticas a communione Eccleſiæ abſcindere cogeretur.

Neque obſtat, quod parere recuſantem Cyprianum Stephanus acriter reprehenderit, nullasque pacificas ei literas amplius ſcripſerit, imo Legatos Cypriani in conſpectum ſuum non admiſerit, anathema etiam interminatus. Nam inprimis anathema ſeu excommunicatio intentari poteſt, & ſolet etiam refractariis in rebus diſciplinæ tantum. Dein res intra minas ſtetit, neque *Stephanus* Papa *Cyprianum* unquam reapſe excommunicavit; prout S. Auguſtinus de ambobus ſermo

monem faciens teſtatur, eosque in unitate & communione perſtitiſſe non uno in loco (s) pronuntiat. Certe *Sixtus II.* Papa, Stephani Succeſſor, communionem cum S. Cypriano habuit, nec eum legitur ab excommunicatione abſolviſſe; ergo hanc S. Cyprianus nunquam incurrit.

§. XLII.

Oppon. II. authoritatem *S. Auguſtini*, qui L. 3. de Bapt. c. 4. & L. 2. de Bapt. c. 4. ait, ſe quoque in cauſa de hæreticorum baptiſmate iturum fuiſſe in Cypriani ſententiam, nec auſurum contrarium aſſerere, niſi Eccleſiæ toto orbe diffuſæ, plenariique Concilii authoritate teneretur: ergo S. Auguſtinus judicavit, decretum Stephani per ſe non eſſe infallibile, niſi accedat Concilii plenarii judicium. *R. I.* Si objecta Auguſtini doctrina, in ſenſu, quo objectio vult, intelligatur, S. Doctor ſibimet ipſi contradixiſſe dicendus eſſet, cum in cauſa Donatiſtarum infallibilitatem Romanæ Sedis ſatis aperte adſtruat, in Pſalmo contra partem Donati de illa dicens: *Ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ*; in cauſa autem Pelagiana decretum Innocentii I. per ſeſe ita cogere crediderit (t) ut eo ſolo *cauſam finitam* affirmaverit.

R. II. S. Auguſtinus cit. loc. nihil aliud vult, quam momenta rationum, quæ pro Cypriani ſententia allata fuerant, ita fortiora ſibi viſa eſſe, ut ſi ipſe vixiſſet eo tempore, quo res nondum eliquata, nec in Con-

(s) L. 5. de Baptiſmo cap. 25. S. Auguſtinus de controverſia illa, inter S. Stephanum & S. Cyprianum orta, loquens, ait: *Vicit tamen pax Chriſti in cordibus eorum, ut in tali diſceptatione nullum inter eos malum Schiſmatis oriretur.* Et L. de unico Baptiſmo c. 14. ſcribit, *utrosque in unitate permanſiſſe.*

(t) Vide §. XXXIV. prope finem.

Concilio plenario definita fuiſſet, iturus fuiſſet in Cypriani ſententiam. Ratio autem, cur S. Auguſtinus hujus quæſtionis definitionem non Stephano Papæ, ſed plenario Concilio adſcripſerit, non ea eſt, quia ſummis Pontificibus authoritatem infallibiliter definiendi, deeſſe crederet qua Pelagianam cauſam omnino finitam fuiſſe confeſſus eſt; ſed quia non ita in cauſa de hæreticorum baptiſmo, uti in Pelagii cauſa, definierat Apoſtolica Sedes (nam, ut §. præcedente vidimus, Stephanus de hac re nullam definitionem fidei edidit); vel etiam, quia humano more differens contra Donatiſtas, Eccleſiaſticam authoritatem nihili facientes, non ita efficax apud eos eſſe exiſtimavit unius Pontificis decretum, uti decretum Concilii plenarii, in quo, poſt multam multis in provinciis diſcuſſionem manifeſtata jam veritate, tot Patrum ſententiæ in unam conſpirarunt.

Oppon. III. authoritarem *S. Ambroſii*, qui L. 3. de Sacramentis cap. 1. ait: *In omnibus cupio ſequi Eccleſiam Romanam; ſed tamen & nos homines ſenſum habemus: ideo quod alibi rectius non ſervatur, & nos recte cuſtodimus.* R. S. Ambroſium non loqui de fidei quæſtionibus, ſed de conſuetudinibus particularibus, quæ non omnibus Eccleſiis ubique ſunt præſcriptæ, ut v. g. ablutio pedum poſt baptiſmum adultorum, de qua determinate ibi agit S. Doctor.

POSITIO XX.

Neque noſtræ ſententiæ obſtat neceſſitas, vel utilitas Conciliorum generalium, eorumque in examinandis cauſis Fidei authoritas.

§. XLIII.

Opponunt *I.* cum *Boſſueto* varia antiquorum teſtimonia, quibus Definitiones Fidei, a Sede Romana editæ

editæ, nunc Conciliorum generalium, nunc Epiſcoporum authoritate firmatæ, roboratæ, irrefragabiles, aut alio æquivalente titulo donatæ dicuntur: ergo, inquiunt, Definitiones pontificiæ ante aſſenſum Conciliorum, vel Epiſcoporum non erant irreformabiles ſeu infallibiles. R. Ex his Antiquorum teſtimoniis plus non ſequitur, quam quod Definitiones pontificiæ authoritatem & vim coactivam majorem in ſenſu mox explicando habeant, ſi accedat conſenſus Epiſcoporum, vel alicujus Concilii generalis. At num inde inferri etiam poteſt, pontificiam definitionem in rebus Fidei per ſe non cogere, & eſſe infallibilem? Num ubi duo vel plures vi coactiva & ineluctabili per ſe præditi, ad aliquid firmiter ſtatuendum aſſeruntur, alter alteri præjudicium creat? Nonne cum ſacræ Scripturæ authoritate a Theologis jungi ſolet Traditio, & cum Scriptura ac Traditione jungitur etiam Synodorum præſertim generalium authoritas? Num hinc deduci poteſt, nec ſolam Scripturam ſacram, nec Traditionem ſolam, nec ſolam Synodorum generalium authoritatem eſſe infallibilem? Minime gentium; cum ſingularum vis omnino coactiva, & infallibilitas aliunde probetur & explorata ſit. Solam vero pontificiam Definitionem eſſe infallibilem & per ſe pariter cogere ad Unitatem Fidei, ante aſſenſum Epiſcoporum, vel Eccleſiæ, abunde probavimus ex ſcopo & fine Primatus Pontificii a Chriſto inſtituti (u) & ex aliis rationibus (x).

Neque tamen idcirco ſuperflua fuere Conciliorum, aut Epiſcoporum ſuffragia, Definitionibus pontificiis conſentientia, quæ ad infirmiores docendos, & ad pertinacium contumaciam vincendam, aut confundendam utilia, aut omnino neceſſaria quandoque habita

(u) Vide §. XXXIII.

(x) §. XXXIV.

bita ſunt, ut nimirum tot Patrum concurſu, aut conſenſu refractarii, vel dubitantes veritatem facilius edocerentur, & revocarentur ad ſanum ſenſum, atque obedientiam debitam; vel ſi in errore adhuc perſiſterent, contumacia eorum palam innoteſcente, tanquam hæretici ab omnibus haberentur. Hoc remedium obedientibus Eccleſiæ filiis neceſſarium quidem non eſt. *S. Auguſtinus*, exorta Pelagiana hæreſi, ſufficere credidit ſolam Apoſtolicam *Innocentii* Pontificis ſententiam, qua *cauſam finitam* pro concione affirmavit; cum nondum haberi poterat tacitus ſaltem univerſalis Eccleſiæ conſenſus. Creſcente vero Pelagianorum tumultu, *Zoſimus* Papa, etſi pariter ſciret, *Innocentii* literas irrefragabilis authoritatis; ad Pelagianorum tamen niſus retundendos, Epiſcoporum ſubſcriptiones *Tractoria* edita petiit, & obtinuit: & ita Catholici Patres utramque Apoſtolicæ Sedis omniumque Epiſcoporum cum ea conſpirantium auctoritatem eidem hæreſi oppoſuere, quin ideo de vi coactiva ſeu infallibilitate literarum Innocentii quidquam ambigerent. In cauſa *Eutychetis*, dogmatica *S. Leonis* Epiſtola infallibilitatem apud Catholicos habuit: eam ſolam ſufficere credidit *S. Flavianus*, ut ne opus eſſet convocatione generalis Synodi commovere omnes Eccleſias. Renitentibus nihilominus Eutychianis, *Leonis* Epiſtolæ additæ fuerunt ſubſcriptiones Epiſcoporum tum Orientis, tum Occidentis, quæ expreſſum declarabant iſtorum Epiſcoporum conſenſum. Cum tamen id quoque apud refractarios non fuiſſet ſatis; convocata eſt Synodus Chalcedonenſis, in qua ex ipſius *Boſſueti* aliorumque Adverſariorum ſententia dubitari a Catholicis non poterat de dogmate, quod & Apoſtolicis literis, & expreſſo tot Epiſcoporum conſenſu jam antea fuerat firmatum.

Unde ad objectionem Adverſariorum dicentium: Si Pontifex ſe ſolo eſt infallibilis, fruſtra convocantur

Con-

Concilia generalia, manifeſta eſt retorſio in Eccleſia diſperſa. Nam eodem jure dici poſſet: Si Eccleſia diſperſa eſt infallibilis, quod utique ab omnibus Catholicis admittitur, fruſtra convocantur Concilia generalia. Item ſi Petrus, & reliqui Apoſtoli habuerunt donum infallibilitatis in Fide (prout reapſe (z) illud habuere), fruſtra congregati ſunt in Concilio Jeroſolymitano Actor. 15. ad decidendam cauſam de ſervandis a gentibus,ad Chriſtum converſis, Legalibus Moſaicis; fruſtra poſt prolatam ibi a Petro ſententiam Jacobus, ceterique Apoſtoli eandem ſuo ſuffragio confirmaſſent.

Præterea ſunt adhuc aliæ rationes, ob quas utile, vel quandoque neceſſarium eſt, convocari Concilium generale. Nam I. frequenter non de dogmate ipſo, ſed de hominibus ferendum eſt ab Eccleſia judicium, & ne qua ſuperſit injuſtitiæ vel errati ſuſpicio aut obtentus, examinanda eſt illorum doctrina, audiendæ rationes, colligenda ſuffragia; ut & procedendi ratio, & Senatorum numerus, ac ipſius Senatus dignitas & majeſtas obſtruant os loquentium iniqua. Cujus diligentiæ tunc major eſt neceſſitas, cum hæretici vel ſectatorum numero, vel potentia ſæculari, vel alia quapiam authoritate pollent. II. Perquam utilia ſunt Concilia generalia *in materia diſciplinæ* ſeu *reformationis*, condendisque morum Decretis. Si enim ex omnibus aut plerisque orbis Chriſtiani partibus & provinciis Epiſcopi ad conſultandum confluunt; clarius perſpicitur, quid omnibus conveniat, &, cunctis conſentientibus, ſuavius conduntur Leges, & acceptantur libentius, certiusque executioni mandantur.

Inſtant: Si Patres in Conciliis etiam generalibus ſequi debent definitionem Fidei, quam antea Romanus

 nus

(z) Vide §. XIV.

nus Pontifex edidit; quomodo ibidem erunt veri Judices? Quomodo habebunt votum deciſivum, & non mere conſultivum? R. Et viciſſim ex Adverſariis quæro: Num judicis ratio in libertate diſſentiendi collocanda eſt, ita, ut cum obligatione aſſentiendi ſtare non poſſit? Nonne Epiſcopi in Chalcedonenſi Judices fuerunt, tametſi *Leonis* definitioni in Eutychetis errorem antea editæ, & ab Epiſcopis Orientis ſubſcriptæ, & ita Catholicæ Eccleſiæ non ſolum tacito, ſed etiam expreſſo conſenſu approbatæ, aſſentiri opus eſſet? Nonne Judices haud dubie fuerunt Apoſtoli in Hieroſolymitano Concilio, cum omnes in S. Petri ſententiam tranſierunt (ut notavit *S. Hieronymus* Epiſt. 75. inter Auguſtin.), etiamſi idem S. Petrus, Spiritu S. certiſſime afflatus, controverſiam ante omnes definierit, ea utique ſententia, contra quam licite nemo Catholicus poterat reluctari? Nonne Concilium poſterius, iterum damnans hæreſes jam a priori Concilio œcumenico damnatas, Judicis officium exercet, etſi ſtare præcedentis Concilii judicio teneatur? Nonne in ipſo Tridentino Concilio veri Judices fuerunt Epiſcopi quoad ea quoque fidei decreta, quibus damnarunt errores a Luthero aliiſque Novatoribus repetitos, & pluries etiam antea damnatos, etſi nemo de juſta illorum facta condemnatione poſſet ambigere? Si Adverſarii non negent, Epiſcopos in hiſce circumſtantiis fuiſſe veros Judices, licet de definitis antea non poſſent dubitare, vel ab iis diſſentire; non ergo judicio proprie dicto in materia Fidei eſſentiale eſt, ita poſſe Epiſcopos in utramlibet partem ſententiam ferre, ut, ſi id quandoque non poſſint licite, veri Judices nec ſint, nec haberi queant. Neque ideo votum mere conſultivum, & non deciſivum in ejuſmodi circumſtantiis ferunt. Nam inter *votum mere conſultivum*, & *deciſivum*, illud præcipuum & eſſentiale diſcrimen eſt; quod

quod nempe primum ab eo fertur, qui nulla obligandi alios ad ſibi aſſentiendum, vel obtemperandum jurisdictione pollet; qualia ſunt Doctorum vel Academiarum. Alterum vero editur ab eo, qui obligare ad ſibi aſſentiendum & obſequendum alios propria poteſtate poteſt. Jam vero, etſi teneantur Epiſcopi pontificiis definitionibus obſequi; ita tamen illis ſubſcribunt, ut ſuo viciſſim judicio immediatos ſubditos ſuos *judicio adhæſionis* obſtringant, quo Pontificis judicio ipſimet adhærent; perinde, ac Epiſcopi, qui œcumenici Concilii, cui ipſi intereſſe non poterant, definitiones ſuſcipiunt, eisque firmo judicio adhærent, ſubditos ſuos ad ſimiliter adhærendum obligant, quin meri *Conſiliarii* vices agere cenſeantur.

Urgent: Concilia œcumenica non ſe obligari crediderunt ad Epiſtolas & Edicta dogmatica Romanorum Pontificum, ſimplici obedientia recipienda; ſed eadem ſubjecerunt novo examini, novamque de his judiciariam ſententiam tulere. Sic, non obſtantibus literis dogmaticis *S. Cæleſtini* ad S. Cyrillum Alexandr. datis, quibus hæreſin Neſtorii damnavit, tamen cauſa Neſtorii in Epheſina Synodo de novo examinata eſt. Similiter Epiſtola S. Leonis M., ad S. Flavianum contra Eutychetem ſcripta, in Concilio Chalcedonenſi, examini ſubjecta eſt. R. Ex dictis facilis reſponſio fluit. *Duplex* nempe *examen* diſtingui poteſt; unum *auctoritatis* in eum, cujus ſententia vel judicium examinatur, cum dubitatione conjunctum, an veritati conſentiat: quod alio nomine vocatur *examen curioſum*; alterum *inſtructionis* & *confirmationis*, quod Galli Antiſtites (a) *judicium ſimplicis adhæſionis & prudentiæ* appellant; quo nimirum definitio dogmatica confertur cum doctrina S. Scripturæ, SS. Patrum &

 Eccle-

(a) Memoires du Clergé T. I. pag. 46.

Eccleſiæ Catholicæ, ac oſtenditur, quod huic omnino conformis ſit. . Utrumque igitur hoc examen cognitionem cauſæ ſupponit. *Primum* tamen pro auctoritate quis & cum dubio exercet, an alterius ſibi ſubditi judicium præcipuis veritatis regulis ex. gr. S. Scripturæ ac Traditioni conſentaneum vel diſſentaneum ſit. *Alterum* ſola Romani Pontificis definitione, ceu certo criterio, contentum eſt, ut ſententiam, ab eo prolatam, cum S.Scriptura & traditione divina convenire continuo judicet. Atque hoc poſterius examen Epiſcopis, ſive in Concilio congregatis, ſive per orbem diſperſis, ita competit, ut nihil eos vetet Pontificis definitiones cum S.Scripturis & Traditione ſacra conferre; modo ne id faciant vocando definitionis veritatem in dubium; ſed ut vel propriis ex documentis firmum cognoſcant, quod jam primi Paſtoris definitione certum habent; vel ut aliis refractariis, aut dubitantibus, qui ad agnoſcendam infallibilem Papæ authoritatem ſatis proni non ſunt, ex primis Fidei regulis eandem veritatem valeant demonſtrare; perinde videlicet, atque Epiſcopi, qui generalibus Conciliis intereſſe non potuere, nihilominus vero judicis officio funguntur; dum prædictorum Conciliorum definitiones tali præmiſſo ſolius adhæſionis examine ſuis propriis ſubditis promulgant.

Sic itaque Patres Concilii Epheſini cauſam Neſtorii, *per literas S. Cæleſtini* jam deciſam, de novo examinarunt, ſed non aliter, niſi ut error maniſeſtius pateret, & definitum dogma apertius confirmaretur. Certe ipſe S. Cæleſtinus *in Epiſt. ad Synod. Epheſ.* ait, ſe mittere ad hoc Concilium Legatos, *ut iis, quæ aguntur, interſint, & quæ a nobis antea ſtatuta ſunt, exequantur*, non ut hæc ſtatuta curioſo examine diſcuti patiantur. Et *in Commonit. dat. Legatis* juſſit eos, ſi res ab aliquibus in diſceptationem vocaretur, *de eorum ſententiis judicare, non ſubire certamen.*

At *dices*: Ipſe S. Cyrillus Alexandr. loquens de ſua Epiſtola, ad Neſtorium ſcripta, quam Cæleſtinus Papa pleniſſime probaverat, petiit a Synodi Epheſinæ Patribus, *ut exponerent, rectene & inculpate ſanctoque illi* (Nicæno) *Concilio convenienter ſcripſerit, an ſecus*: ergo ipſe S. Cyrillus dubitabat, utrum Cæleſtinus Papa fuerit infallibilis in approbanda illa Epiſtola ſua. Rdeo. conc. antec. nego conſ. S. Cyrillus hoc potuit a PP. Epheſinis petere, non quaſi dubius de orthodoxia ſuæ Epiſtolæ (jam enim antea profeſſus fuerat: *Perſuaſum habeo, nihil me ab orthodoxa Fide aut Symbolo Nicæno diſceſſiſſe*); ſed idcirco petiit, quia ad convincendos Neſtorianos expediebat id petere, ut per judicium & aſſenſum tot Epiſcoporum magis confunderentur. Sic aliquis nunc certus de orthodoxia illius Epiſtolæ S. Cyrilli poſſet ad elucidationem & Neſtorianorum refutationem dicere: Legite hanc epiſtolam, & dicite, an Cyrillus recte ſenſerit, nec ne? Sic etiam illi Theologi, qui canonicum aliquem Librum, a Sectariis e Sacrorum Albo expunctum, ad examen vocant, ut Decretum Concilii Tridentini, quo ſacris Libris accenſetur, vendicent, ſolent præſcindere a Tridentini authoritate, aliisque documentis utuntur, quin ideo Decretum Tridentini errori obnoxium eſſe poſſe judicent.

Similiter *S. Leonis Papæ ad Flavianum Epiſtola* neutiquam in Concilio Chalcedonenſi fuit examinata examine curioſo, quod ipſe S. Leo expreſſe (b) prohibuerat: neque a Catholicis Epiſcopis ita exami-

(b) In Epiſtola ad Patres Concilii ait: *Qui non poteſtis ignorare, quid ex antiqua traditione credamus, non poſſitis dubitare, quid cupiamus. Unde fratres chariſſimi, rejecta penitus audacia diſputandi -- vana errandi infidelitas conquieſcat. Non liceat defendi, quod non licet credi. Cum ſecundum Evangelicas authoritates, -- pleniſſime & luciaiſſime per*

aminari potuiſſet, quia jam prius eandem extra & in Concilio approbarunt. Nam, ut *Harduinus* Tom. 2. narrat, huic Epiſtolæ jam ante Concilium ſubſcripſerant Epiſcopi, cumque hæc Epiſtola in Concilio poſtea eſſet lecta in Actio. 2., ſtatim & absque mora vel examine Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt -- *Omnes ita credimus, orthodoxi ita credunt. Anathema ei, qui ita non credit. Petrus per Leonem ita locutus eſt.* Fatendum quidem, quod ſub finem actionis ſecundæ examen aliquod hujus Epiſtolæ inſtitutum fuerit, quibusdam *dubitantibus Illyricianis & Palæſtinis Epiſcopis* (qui infallibilitatis Pontificiæ non videbantur ſatis gnari), non quod licitum crederetur de illa Epiſtola dubitare, ſed *ut, qui dubitabant, docerentur*. Præterea hoc examen non *publice* in Concilio, ſed *privatim* apud Anatolium Patriarcham fuit inſtitutum, & a ſolis fere Illyricianis & Palæſtinis Epiſcopis: & quidem inſtitutum fuit non tam de orthodoxia, quam de ſenſu quorundam verborum illius Epiſtolæ, quæ cum a Legatis pontificiis explicata, & ambiguitas omnis ſublata eſſet (uti prædicti Epiſcopi Illyric. & Palæſtini Actione IV. publice profeſſi ſunt), iidem Epiſcopi Epiſtolæ Leonis ſubſcripſere. Ceterum, ſi ex hujus Epiſtolæ memorato examine fallibilitas Papæ probaretur, ſequeretur omnino, quod Papa cum pluralitate Epiſcoporum, ſeu extra, ſeu in Concilio exiſtentium, fallibilis ſit (Epiſtolæ enim huic, ut dixi, ante initium Concilii jam ſubſcripſerunt Epiſcopi, & in Concilio Act. 2. eandem approbarunt), quod nemo Catholicorum dicere poteſt.

Inſtant: Ipſe S. Leo Epiſt. 63. ad Theodoretum ſcribit: *Quæ noſtro prius miniſterio definierat* (Deus), *univerſæ fraternitatis irretractabili firmavit aſſenſu.* Ergo ante

per literas, quas ad beatæ memoriæ Flavium Epiſcopum miſimus, fuerit declaratum, quæ ſit (de Incarnatione) *pia & ſincera confeſſio.*

ante acceptationem a Concilio Chalcedonenſi factam, non judicavit, Epiſtolam ſuam fuiſſe infallibilem. R. con . ant. neg. conſ. Nam ait, quod *Deus* jam prius ſuo miniſterio definierit: ergo infallibiliter. Nihilominus hæc definitio firmari potuit in ſenſu ad initium hujus §phi explicato.

POSITIO XXI.

Noſtræ ſententiæ non obſunt prætenſi Romanorum Pontificum errores.

§. XLIV.

Exiguitas hujus Libelli non permittit, ſingulos ſingulorum Pontificum ab Adverſariis prætenſos errores recenſere, & excuſare, quod alii ſententiæ noſtræ Patroni (c) plures faciunt. Statuo ſolum regulas generales, additis quibusdam difficilioribus exemplis, & declaro, quid ſit Papam ex Cathedra loquentem errare: ex qua declaratione facile patebit, nullum hactenus Romanum Pontificem hac ratione erraſſe, nec unquam erraturum.

Ut autem rite declaretur, quid ſit Papam ex Cathedra loquentem erraſſe, prius exponendæ ſunt conditiones, quæ requiruntur ad definitionem dogmaticam, ſive (quod idem eſt) ad locutionem Papæ ex Cathedra. Ad hanc, fatente ipſomet *Tournelio* quantumvis Adverſario, quatuor requiruntur conditiones. Prima eſt ex parte *materiæ*, quæ definitur: hæc quippe talis ſit oportet, ut appareat, eam eſſe aliqua ratione revelatam a Deo, vel in Scriptura, vel per Traditionem. Quæ enim talia non ſunt, ut facta *particularia*, *perſonalia* &c., ad fidei dogmata non pertinent,

(c) Vide *Bellarminum* L. 4. de Rom. Pontifice cap. VIII. & ſeqq. *Billuart* Tom. VII. Curſ. Theol. Diſſertat. IV. Artic. VI. §. II. *Biner* de ſumma Trinit. & Hierarchia Eccleſ. Part. III. Cap. I. Artic. XI. & XII. Taceo plures alios.

nent, quæ Fidelibus ex Petri Cathedra credenda proponantur. Secunda eſt ex parte *perſonæ*, quæ rem definit, ut illa ſit libera ad deliberandum, ac definiendum. Si enim Pontifex illata vi adigatur, aut gravi metu inducatur ad aliquid aſſerendum, non *docet* ex Cathedra, quod ipſi videtur: ſed ſolum *dicit*, quod dicere cogitur. Hinc actus metu extorti, tanquam non omnino liberi, ex ipſo civili jure nulli judicantur. Itaque neque definitio fidei eſt, nec dici poteſt illa, quæ non libera pleneque voluntaria, ſed per vim manifeſtam metu extorta eſt. Ubi de ſolemnibus Pontificum & Conciliorum dogmaticis decretis agitur, eorum vis & authoritas e ſenſu ac ſententia, Spiritu S. inſpirante edita, proficiſcitur: *Viſum eſt Spiritui S. & nobis*. Actor. 15. v. 28. ac propterea ubi conſtat, decretum vi ac metu externo extortum fuiſſe, & non ex intima decernentis ſententia; idem decretum prorſus neceſſaria & eſſentiali conditione, ad definitionem dogmaticam requiſita, caret. Tertia conditio eſt ex parte *modi*, quo Pontifex *ad difiniendum progreditur*: ut non temere & quaſi ex abrupto, nullaque conſideratione præmiſſa, edicat, quod ipſe neſcit, utrum a Deo revelatum, aut verum ſit; ſed ut prævio maturo examine, vel conſultis etiam Viris rei, de qua agitur, peritis, maxime S. R. E. Cardinalibus, definiat, quod ſibi perſuaſum habet, in S. Scriptura, vel in antiqua Romanæ Eccleſiæ traditione ac doctrina contineri. Deus enim non vult Pontificem ad ipſius arbitrium ſubito, & quaſi per miraculum illuſtrare, ſi non faciat, quod eſt in ſe. Quarta eſt ex parte *modi*, quo Pontifex rem ipſam *definit*: ut ſcilicet eam *toti Eccleſiæ* proponat *firmiter credendam* (fide divina, vel ſaltem Eccleſiaſtica), atque ita, ut pro hæreticis, vel ſaltem pro inobedientibus habeantur, qui poſt ſufficientem ſententiæ promulgationem ei non acquieſcunt

ore

ore & corde. Ratio eſt; quia Pontifex, cum loquitur ex cathedra, eſt publicus Doctor omnium fidelium: ergo tunc *totam Eccleſiam* docere debet. Idem eſt Doctor certæ veritatis: ergo rem, quam docet, proponere debet, *ut firmiter credendam.* Hinc patet, pleraque reſcripta Pontificum nequaquam eſſe definitiones dogmaticas, ſed duntaxat judicia particularia, vel reſponſa ad dubia eisdem propoſita circa practicos caſus, quin ullum definitionis dogmaticæ indicium præſeferant. *Reſpondent enim ſæpe Pontifices*, inquit Melchior Canus L. 6. de locis theol. c. 8. ad 8., *ad privatas hujus aut illius Epiſcopi quæſtiones, ſuam opinionem de rebus propoſitis explicando, non ſententiam ferendo, qua fideles obligatos eſſe velint ad credendum.* Et ſimiliter Card. Bellarminus L. 4. de Rom. Pontifice c. 14. notavit, *multa eſſe in Epiſtolis Decretalibus, quæ non faciunt rem aliquam eſſe de fide, ſed ſolum opiniones Pontificum ea in re nobis declarant.* His apoſtolicis reſcriptis ſumma quidem obſervantia debetur pro ſumma reſcribentium dignitate atque authoritate, & explicanda ac invicem conciliandа ſunt modo meliore, quo fieri poteſt: infallibilia tamen non ſunt. Accedit, quod ſæpe tantum incidenter aliquas veritates fidei contineant; ferme ſicut ſimiles ſententiæ ſæpe in aliorum Patrum ſcriptis & Libris inveniuntur, quin eædem fidei definitiones ſtricte tales dici queant. Fidei enim definitiones ſtricte tales, illa tantum, ut ſupra dixi, apoſtolica decreta ſunt, in quibus, ob excitatas controverſias, vel dogma aliquod omnibus fidelibus de fide divina aut Eccleſiaſtica credendum decernitur, vel error, alicui dogmati contrarius, damnatur, ut ex primatus officio unitas fidei ſervetur, fratresque confirmentur in fide.

§. XLV.

Ex dictis colliges, veriſſimum eſſe, quod ipſe *Boſſuetus* Adverſarius (d) fatetur, *unum* tantum, aut *duo* facta eſſe, quæ moleſtiam & negotium faceſſunt; ſi quis omnes Romanos Pontifices ab errore contra Fidem excuſare velit, nempe lapſum *Liberii*, atque *Honorii*, ut ait. Verum lapſus *Liberii* noſtræ ſententiæ de infallibilitate Romani Pontificis non obeſt; quia, etiamſi *Liberius* formulæ hæreticæ Arianæ ſubſcripſiſſet, quod plurimi (e) ex gravibus fundamentis merito negant: tamen hæc non fuiſſet definitio Pontificis ex cathedra loquentis, quia vi & metu extorta; prout iterum fatentur ipſi Adverſarii, qui pro ſe adducere ſolent illa *S. Athanaſii* (f) verba in Epiſtola ad Solitarios: *Porro Liberius -- poſt biennium denique fractus eſt, minisque mortis perterritus ſubſcripſit.*

Similiter nobis non obeſt lapſus *Honorii*; nam etiamſi *Honorius* geminas Epiſtolas, Monotheliſmi veneno infectas, ad Sergium Patriarcham CPtanum ſcripſiſſet (quod tamen hodie eruditiſſimi Viri (g) negant), ta-

(d) In Meditat. in Evang. die 72. Et in Defenſ. Declarat. Cleri Gallic. L. 10. al. 15. cap. 2. 5. & 9.

(e) Hunc *Liberii* lapſum longe probabilius commentitium eſſe, ſolidiſſimis rationibus oſtendit *Joannes Stiltingus*, Socius Bollandianus in Actis SS. Tom. VI. ad diem 23. Septembris: cujus ſententiam hodie eruditiſſimi Viri amplectuntur.

(f) Dixi, Adverſarios hunc textum *S. Athanaſii* pro ſe allegare. Eſt autem magnum dubium, utrum ſit genuinus, vel hujus ſancti Libris ab imperito quodam intruſus, prout ſolide probat *Stiltingus* cap. 8. Ceterum, etiamſi verum eſſet, hæc ſcripſiſſe *S. Athanaſium*, potuit hic Sanctus, qui tunc in deſertis latebat, ſparſo ab Arianis de *Liberii* lapſu falſo rumore, decipi.

(g) Illuſtriſſimus *Joan. Baptiſta Bartholi*, qui olim in Univerſitate Patavina SS. Canonum Profeſſor, poſtea Epiſcopus

tamen hæ literæ non erant Bulla dogmatica, aut definitio Papæ, ex cathedra loquentis, ad omnes totius orbis Epiſcopos directa; ſed erant literæ privatæ; nam 1. erant inſcriptæ ſeu directæ ad ſolum Sergium. 2. Primum fuerunt inventæ & ex Scrinio Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ extractæ tempore Concilii generalis VI., ſeu CPtani III. id eſt, annis fere quadraginta poſt mortem Honorii Papæ. 3. De neutra Epiſtola aliquid ſciebatur Romæ, excepto *Joanne* quodam, qui primam Honorii ad Sergium Epiſtolam juſſu Honorii, cujus Amanuenſis erat, ſcripſerat ad Sergium CPtanum.

Addo adhuc aliquot alia exempla ad rem magis illuſtrandam. Sic I. non fuit, tanquam res Fidei ab omnibus Fidelibus credenda, miſſum illud reſponſum a *Gregorio III.* ad *Bonifacium* Epiſcopum *Cauſa* 32. *q.* 7. *Can.* 18., in quo hic Pontifex dicit, licitum eſſe, ducere aliam Uxorem Viro, cui ſua ob infirmitatem corporis debitum reddere non valet; ſed eſt Reſcriptum ad caſum propoſitum. Addunt alii, & excuſant Gregorium III. dicendo, quod loquatur de impotentia perpetua ac naturali, ipſumque matrimonium antecedente, ſed poſt initum matrimonium detecta, quæ eſt impedimentum dirimens, & matrimonium antea contractum irritum reddiderat: vel certe quod loquatur de matrimonio valido quidem, ſed rato tantum, & per diſpenſationem diſſoluto.

If.

pus *Feltrienſis* factus eſt, eruditiſſimam pro Honorio I. Apologiam (quam hodie clariſſimi Doctores amplectuntur) in lucem edidit, in qua ſolide oſtendit, Honorium nec hæreſeos, nec malæ œconomiæ, aut nimiæ indulgentiæ in cauſa Monotheletarum reum ſe feciſſe, Epiſtolam ejusdem primam, ad Sergium ſcriptam, fuiſſe a Monotheletis corruptam, alteram vero ex integro ab iisdem confictam & Honorio affictam &c.

II. *Stephanus VI.* & *Sergius III.* irritarunt acta *Formoſi* Papæ, juſſeruntque iterum ordinari, quos *Formoſus* ordinaverat; ſed errarunt errore facti: quia ex odio in *Formoſum* juſſerunt ordinari eos, quos ille ordinaverat; & hoc facto peccarunt, non tamen definitionem aliquam ediderunt aut decretum, quod ordinationes, ab Epiſcopo degradato, aut depoſito factæ, ſint invalidæ. Imo non ſatis conſtat, quod ipſi fuerint in privata etiam hac opinione. Sæpe aliqua ex odio & paſſione fiunt contra propriam animi ſententiam; quia nempe impetus iræ & odii prævalet meliori animi ſententiæ.

III. Quamvis *Cæleſtinus III.* docuerit, uno conjugum in hæreſin lapſo, diſſolvi matrimonium, alterumque poſſe ad alias nuptias tranſire. *Innocentius III.* vero *c. quanto 7. de divortio* ſtatuat contrarium: tamen neuter erravit in fide, quia hæc quæſtio tunc necdum erat definita, nec iſti Pontifices aliquid circa illam definierunt, ſed uterque, tanquam privatus Doctor, ad privatas literas reſpondit, quid ſibi videatur probabilius. Unde *Innocentius* Ferrarienſem Epiſcopum, Juris Canonici Doctorem, qui hanc quæſtionem, tunc dubiam, propoſuerat, laudat, quod in dubiis quæſtionibus ad Sedem Apoſtolicam recurrat. Deinde vero reſpondit, licet quidam ex ſuis Prædeceſſoribus aliter ſenſiſſe videatur, ſe tamen id non credere. Ex quo patet, neutrum aliquid definiviſſe, ſed tantum privatam ſuam opinionem retuliſſe. In Concilio poſtea Tridentino *Seſſ.* 24. *can.* 5. *de Matrim.* definitum habemus, propter hæreſin non diſſolvi matrimonium.

Hinc patet, illa ſolum Fidei decreta, ſeu definitiones Papæ ex Cathedra loquentis eſſe, in quibus aliquid ab omnibus Fidelibus ex Fide credendum, aut damnandum decernitur, ita, ut qui aliter ſentiant,

a ca-

a Catholica Fide alieni exiſtant, & ab Eccleſia præciſi, anathemate aliisve ſimilibus cenſuræ formulis indicentur percuſſi. Si nihil ejusmodi notarum adſit, etiamſi materies, circa quam locutio Papæ verſetur, poſſit ad fidem referri; decretum tamen non erit certa dogmatica definitio.

At *opponunt* quidam ex Adverſariis: Hæc reſtrictio infallibilitatis pontificiæ ad ſolas Definitiones fidei, eſt nova & violenta; imo hac ratione nulla & perpauca aſſignari poterunt decreta dogmatica, ſeu definitiones Pontificis ex Cathedra loquentis. R. cum doctiſſ. *Petro Ballerinio* (h), qui hoc objiciunt, debere conſiderare duo. Primo animadvertant, in utroque Evangelico textu, Matth. c. 16. v. 18. Et Luc. c. 22. v. 32 (ex quo gemino infallibilitatem Papæ, ex Cathedra loquentis, probamus) promiſſiones Chriſti reſpicere fidem Petri, cui tanquam fundamento & centro unitatis omnes adhæreant, & quæ fides Petri omnes ex præcipuo fine primatus (i) in ejusdem fidei Unitate confirmet, quod definitionibus efficitur. Itaque ſolas ejusmodi definitiones promiſſiones Chriſti reſpiciunt, & in his ſolis infallibilitas Pontificum requirenda. Secundo cogitent, communem eſſe Theologorum doctrinam, in ipſis generalium Conciliorum Actis ſolas definitiones fidei vim infallibilem habere, & ad aſſenſum cogere, ſi vel ratio definiendi, vel alia quædam, Actis obiter inſerta, difficultatem faceſſant, aut a veritate abeſſe videantur. Itaque ſatis mihi, ceterisque pontificiæ infallibilitatis propugnatoribus eſt, ſi hoc privilegium iis decretis apoſtolicis aſſeratur, ad quæ promiſſiones Chriſti, & finis ac officium primatus Pontificii refertur; promiſſiones autem Chriſti & pri-

(h) In Appendice de infallibilitate Pontif. §. X. pag. 274. & ſeqq.

(i) Vide §. XXX.

primatus officium ac finis ea ſolum Pontificia decreta reſpiciunt, quibus in controverſiis & diſſidiis circa fidem Pontifices fidei unitatem vindicare & cuſtodire ſtudent, quod ſolis definitionibus proprie dictis, aſſenſum Fidei ab omnibus Fidelibus exigentibus, fit, cum ob dirimenda diſſidia, quid credendum aut condemnandum ſit, expreſſe declarant, atque decernunt. Adverſarii, qui vellent definitionis nomen indicatis conditionibus nequaquam reſtringi, idcirco vellent, ut error aliquis in fide facilius inveniretur, quo infallibilitas Romanorum Pontificum manifeſte revinceretur.

POSITIO XXII.

Noſtræ Sententiæ non obſunt aliæ Adverſariorum Rationes.

§. XLVI.

Opponunt I. Chriſtus in ſua Eccleſia non inſtituit regimen *pure Monarchicum*, ſed *Monarchico-Ariſtocraticum*, in quo Proceres cum Monarcha, id eſt, Epiſcopi cum Romano Pontifice poteſtatem regendi habent juxta illud Actor. 20. v. 28., *Spiritus S. poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam*; ergo in controverſiis Fidei decidendis fas eſt, ut Cojudices Epiſcopi ſimul ſuum interponant judicium. *R. I.* Non negamus, Epiſcopos eſſe Judices in controverſiis Fidei a Papa definitis, ſed in ſenſu §. XLIII. explicato. *R. II.* diſt. ant. Epiſcopi cum Romano Pontifice poteſtatem regendi habent, ſubordinatam tamen Romano Pontifici, & talem, ut Papa non in omnibus definitionibus ſuis neceſſario adhibeat judicium Epiſcoporum per orbem diſperſorum, aut in Concilio congregatorum. Conc. ant. Epiſcopi habent poteſtatem regendi ſine ſubordinatione ad Papam, aut ita, ut Papa nihil poſſit infallibiliter definire, niſi prius ipſorum ju-

judicium exquirat. Nego ant. Hoc enim Adverſariis probandum reſtat; imo contrarium poſitive probatur ex ſenſu & perſuaſione ipſorum Epiſcoporum, etiam Gallorum. Sane ipſimet Epiſcopi, quando pro deciſione quæſtionis dubiæ aut controverſæ (ut ſæpe fit) ad Sedem Apoſtolicam recurrunt, non aliud petunt, quam ut Pontifex *per ſe* doceat, quid credendum, definiatque, quid tenendum ſit, quin ulterius definitionem Pontificis *examine curioſo* (l) examinare velint, & *judicium authoritatis* interponere. Sic Galliæ Epiſcopi in Epiſtola ad *Innocentium X.* miſſa, petiere, ut declararet, quid eſſet de quinque Janſenii propoſitionibus ſentiendum. *Majores cauſas*, inquiunt in illa Epiſtola, *ad Sedem apoſtolicam referre ſolennis Eccleſiæ mos eſt, quem morem Fides Petri NB. nunquam deficiens perpetuo retineri pro jure ſuo poſtulat — Quamobrem flagitamus, Beatiſſime Pater, ut clara firmaque, de propoſitionum iſtarum* (quinque Janſenii) *ſenſu, prolata ſententia, cui Reverendus ipſe Janſenius, morti proximus, opus ſuum ſubjecit, caliginem omnem diſcutias &c.*

Inſtant: Si Papa nihil ſine conſenſu Epiſcoporum decidere poſſit, facilius obtinetur concentratio inter Pontificem, & corpus Paſtorum, ſine qua non eſt firma & ſtabilis pax in Eccleſia. Certe cauſa trium Capitulorum non potuit prius finiri, quam Epiſcopi cum Pontifice *Vigilio*, & hic cum illis concentraverit, ſeu conſenſerit. R. Imo longe facilius & certius dicta concentratio & pax ac unitas fidei in Eccleſia obtinetur, ſi Epiſcopi ſibi perſuaſum habeant, prout hucusque plerique, aut plurimi perſuaſum ſibi habuere, Pontificem in Definitionibus Fidei jam ante aſſenſum Epiſcoporum eſſe infallibilem. Tunc enim probe gnari, ſe eſſe obligatos, ut cum Pontifice in unam Fidei doctrinam

(l) Vide §. XLIII.

ctrinam conſpirent, facile conſentient ejus Definitionibus; ſicut defacto plerique ſemper conſenſere.

Imo vi promiſſionis Chriſti, qua Eccleſiam ſuper Petrum, ejusque Succeſſores, tanquam fundamentum firmiſſimum, ædificatam ſemper duraturam, & in Fide indefectibilem fore promiſit, fieri nequit, ut a definitione dogmatica Romani Pontificis omnes Epiſcopi ſeu tota Eccleſia docens ſuffragiis ſuis diſſentiant. Ceſſaret enim S. Petrus, vel ejus Succ-Succeſſor eſſe fundamentum Eccleſiæ Chriſti, nec Chriſti Eccleſia huic ſuo fundamento maneret inædificata contra expreſſum Chriſti promiſſum. Ergo nec ſummus Pontifex unquam *ſolus* in rebus Fidei a ſe definitus relinquetur, nec ſine illo totus cœtus Epiſcoporum aliter, atque ille, decernet; ſed ſemper aliqui Epiſcopi una cum ſubditis quibusdam Fidelibus perpetuo inſiſtent, & inædificabuntur huic fundamento, nempe Petro, ejusque Succeſſoribus, ac cum horum judicio conſentient. Profecto vera Chriſti Eccleſia adhæſit ſemper, ſemperque adhærebit Cathedræ S. Petri, ſeu doctrinæ Fidei, quam Petrus & Succeſſores ejus proponunt, ac docent: neque alia erit, aut eſſe poterit vera Chriſti Eccleſia, niſi quæ huic cathedræ, unitatis Catholicæ centro, adhæreſcit, & adhærebit.

Oppon. II. Antequam Papa aliquid definiat, adhibenda ab eo eſt moralis diligentia in inquirenda rei veritate, interrogando etiam alios, tanquam Conſiliarios: ſed hæc moralis diligentia melius explicatur, ſi plurium & præcipue eorum conſenſus expetitur, qui conſtituti a Domino ſunt regere Eccleſiam Dei, id eſt, Epiſcoporum. R. Licet Pontifex poſſit, ſi velit, & interdum etiam valde expediat, Epiſcopos per orbem diſperſos, aut in Concilio congregatos conſulere de re definienda: tamen hoc non eſt abſolute neceſſarium ad infallibiliter definiendum. Infallibilitas enim non eſt in prædictis Conſiliariis, ſed in ipſo Pontifice, ne-

que

que Adverſarii probare poſſunt, eam Pontifici a Deo promiſſam eſſe duntaxat hac conditione, ſi prius alios Epiſcopos interrogaverit. Ceterum Pontifex nihil ſolet definire, niſi magna prius adhibita diligentia, & conſultis Viris doctis, præcipue Cardinalibus, qui ſunt ordinarii Papæ Conſiliarii.

Dices: nunquam ſumus abſolute certi, utrum Papa definiens omnes conditiones, ad infallibilem definitionem requiſitas, debitum examen Scripturarum & traditionum, conſultationem, preces &c. adhibuerit: ergo nunquam ſumus certi de infallibilitate alicujus Pontificiæ Definitionis. R. nego ant. Cum enim ex promiſſis Chriſti, & Traditione PP. aliiſque rationibus oſtenderimus, Papam ex Cathedra loquentem eſſe infallibilem; hoc ipſo ſequitur, nos eſſe ſat certos de impletis a Pontifice conditionibus, ad infallibilem definitionem requiſitis, quandocunque ex Cathedra loquitur. Deus ſiquidem ſapienter ſuaviterque diſponens omnia, dum finem proſpicit, media etiam proſpicit ad finem neceſſaria. Cum ergo (ut probavimus) infallibilitas ſummis Pontificibus, quando ex primatus officio aliquam fidei controverſiam definiunt, ob fidei unitatem ſervandam, a Deo promiſſa ſit; promiſſum etiam fuiſſe intelligitur, ne ipſis, cum definiunt, quidquam deſit, quod ad definitionem edendam neceſſarium fuerit. Eadem ſane quæſtio moveri poſſet, quoad definitiones editas in generali Concilio. Sicuti ergo, cum eduntur definitiones Concilii generalis, de conditionibus, ad infallibilem definitionem neceſſariis, nemo Catholicus dubitat; ita & de ſummorum Pontificum definitionibus judicandum.

Urgent: Si Papa non niſi cum conſenſu Epiſcoporum controverſias Fidei definire poteſt, ceſſant Sectariorum cavillationes ſugillantium, quod miraculoſus quidam ſtatus in corpus viſibile Eccleſiæ inducatur, cum infallibilitas homini uni, nemp e Papæ,

K tri-

tribuitur. R. nego, quod tunc ceſſarent cavillationes Sectariorum. Nam æque impugnant infallibilitatem Eccleſiæ diſperſæ & Conciliorum generalium; ſicut impugnant infallibilitatem Papæ ſe ſolo. Ceterum ſemper ad infallibilem Spiritus ſancti aſſiſtentiam recurrendum eſt, ſive dicatur totus cœtus Epiſcoporum, ſive Pontifex ſe ſolo infallibilis; nam infallibilitas ſemper ſuperat hominum fallibilium conditionem. Hinc etiam metus eorum retunditur, qui dicunt, rem plenam periculi eſſe, infallibilitatem in definiendis fidei controverſiis unius Pontificis Perſonæ attribuere, qui ex aliquo præjudicio, aut ſiniſtro affectu poſſet aliquando opinionem minus veram, quam in animum induxerit, veluti certum dogma definire. Hi profecto, qui id timent, definitiones dogmaticas metiuntur humano more; nec cogitant dogmata fidei eſſe rem divinam, & infallibilitatem Romanorum Pontificum divinis promiſſis, Petro factis ac ad Succeſſores ejus una cum primatu traductis, inniti, divinamque providentiam variis & occultis modis poſſe efficere, & (ne divinæ promiſſiones ſint irritæ) certo effecturam, ut, ſi qui Pontifices ex aliqua præoccupatione animi, aut ſiniſtro affectu vellent aliquid falſum definire, vel mutent conſilium, contrariumque definiant, vel a definiendo impediantur omnino, vel contineant ſuam ſententiam inter eorum decretorum limites, quæ proprie definitiones non ſunt.

Oppon. III. Papa poteſt errare in quæſtionibus meri facti: ergo etiam in quæſtione juris, ſeu fidei. 2. Papa poteſt in alia peccata incidere v. g. ſuperbiæ, avaritiæ, luxuriæ: ergo etiam in hæreſin. 3. Quod Eccleſia docens, hoc eſt, Papa cum conſenſu Epiſcoporum ſit infallibilis, ſcimus ex revelatione divina: ergo non ſolus Papa eſt infallibilis. R. *ad pri-*

primum: conc. ant. nego conſ. & paritatem. Diſparitas eſt; quia in quæſtione puri facti, immediate a Deo non revelati, nec cum jure connexi, Papa errare poteſt absque notabili damno Eccleſiæ: neque Chriſtus oravit pro Petro, ejusque Succeſſoribus, ne in aliqua quæſtione meri facti errarent; ſed tantum, ut eorum fides nunquam deficiat. Contra ſi in quæſtione fidei & morum erraret Papa, evacuaretur oratio Chriſti, ac ipſa Eccleſia, deficiente Capite, plurimum perturbaretur. Ceterum hæc objectio ab ipſis Adverſariis ſolvenda eſt in Conciliis œcumenicis, ſi dicatur: Concilia œcumenica poſſunt errare in quæſtionibus facti: ergo etiam in quæſtione juris. *Ad 2dum*: conc. antec. diſt. conſ. ergo Papa poteſt etiam incidere in hæreſin, ut perſona privata. Tranſeat. Ut perſona publica, & Caput Eccleſiæ, quando ex Cathedra loquitur. Nego conſ. Rationem paulo ante aſſignavimus; quia nempe innumeræ perturbationes in Eccleſia orirentur, & promiſſa Chriſti (quæ ſe ſolum extendunt ad *Fidem*, in Petro ejusque Succeſſoribus conſervandam) non videntur impleri, ſi Papa ex Cathedra loquens erraret. *Ad 3tium*: conc. antec. diſt. conſ. ergo Papa non ſolus eſt infallibilis, attamen ſe ſolo infallibilis eſt. conc. conſ. ſecus. nego conſ. Non dicimus, quod Papa *ſolus* ſit infallibilis (nam etiam Eccleſia ſive diſperſa, ſive in Concilio generali congregata, ſi cum Capite, id eſt, cum Romano Pontifice conſentiat, infallibilis eſt); ſed dicimus, quod Papa *ſe ſolo* infallibilis ſit, id eſt, etiamſi nondum acceſſerit conſenſus Epiſcoporum.

POSITIO XXIII.

A Romano Pontifice ex Cathedra loquente & definiente non poteſt fieri legitima appellatio ad Concilium generale.

§. XLVII.

Appellatio in genere definitur a Juris conſultis, a minore judice ad majorem, ratione gravaminis, facta provocatio. In quæſtionibus fidei & morum a Romano Pontifice ad Concilium generale nunquam a Catholicis appellatum fuiſſe, conſtat ex hiſtoria eccleſiaſtica, quæ id a ſolis hæreticis, iiſque pauciſſimis factitatum eſſe oſtendit. Primi fuere Sæculo V. *Pelagiani* Epiſcopi octodecim, qui, oblata *Zoſimo* Papæ fidei ſuæ profeſſione, id duntaxat ab eo petebant, ut illam examinare dignaretur, & ſi erroneam in aliquo deprehenderet, id ipſis intimaret; ſecus ſe ad oecumenicam Synodum appellaturos ſignificabant. Unde patet, horum hæreticorum appellationem non abſolutam, ſed conditionatam duntaxat fuiſſe, & ex titulo denegatæ juſtitiæ ab ipſis interponendam. Pelagianos audacia & faſtu ſuperarunt Sæculo XVI. *Martinus Lutherus* a *Leone X*, & Sæculo XVIII. *Janſeniani* a Conſtitutione Clementis XI, cujus initium, *Ungenitus Dei Filius*, ad Concilium œcumenicum appellantes. Galli Catholici multi, qui Pontificem Conciliis œcumenicis *inferiorem*, & ſe ſolo *fallibilem* eſſe defendunt, putant, quamvis id nunquam a Catholicis factum fuerit, a Pontifice ad generale Concilium appellari poſſe, ſi decreto Romani Pontificis in quæſtionibus fidei & morum univerſalis Eccleſiæ conſenſus nondum acceſſit; de quo ſi ſufficienter conſtet, tum vero talem appellationem (v. g. Janſenianorum) ut illegitimam rejiciunt, & damnant. Pari modo exiſtimant Galli, in rebus, ad diſciplinam pertinentibus, fas ſibi eſſe a Bullis Pontificum provocare ad Concilia œcumenica per appellationem.

Cer-

Certum eſt, harumappellationum a Pontificiis decretis, in materia etiam ad meram diſciplinam ſpectante, nullum prorſus in Eccleſiaſtica, ac Gallicana etiam hiſtoria exſtare veſtigium usque ad initium Sæculi XIV. quo primum a *Philippo Pulchro*, Galliarum Rege, uſurpata fuit, quando a judicio *Bonifacii VIII.* appellationem ad Concilium generale interpoſuit: in qua tamen adeo parum fiduciæ repoſuerat, ut a Benedicto XI. & Clemente V. Bonifacii Succeſſoribus, inſtantiſſime poſtularit abſolvi ab excommunicatione, quam vi cenſurarum Bonifacii ſe incurriſſe haud inaniter verebatur. Nos hic potiſſimum impugnamus appellationes a Decretis ſummorum Pontificum in quæſtionibus fidei & morum ad futurum Concilium generale, & dicimus: A Romano Pontifice, aliquid ex cathedra definiente, non poteſt fieri legitima appellatio ad tale Concilium.

Prob. I. Authoritate Pontificum. *S. Gelaſius* Epiſt. 13. ad Epiſcopos Dardaniæ ſcribit: *Cuncta per mundum novit Eccleſia, quoniam — Sedes B. Petri Apoſtoli jus habeat reſolvendi, utpote quod de omni Eccleſia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Siquidem ad illum de qualibet mundi parte Canones appellari voluerint, ab illa autem nemo ſit appellare permiſſus.* Gelaſium ſecutus eſt *S. Nicolaus I.* Epiſt. 8 ad Michaelom Imperatorem, citans verba S. Gelaſii. In Concilio *Conſtantienſi* an. 1418. in publico & generali Conſiſtorio, nemine reclamante, promulgata fuit a *Martino V.* Conſtitutio, in qua hæc continebantur: *Nulli fas eſt a ſupremo Judice, videlicet Apoſtolica Sede, ſeu Romano Pontifice, Jeſu Chriſti Vicario in terris, appellare, aut illius judicium in cauſis Fidei, quæ tanquam majores ad ipſum, & Sedem Apoſtolicam deferendæ ſunt, declinare.* Cumque Martinus Papa Legatorum Poloniæ petitioni annuere nollet, qui petebant damnari libellum *Joannis Falckenbergii*; iidem Legati appellationem ad Conci-

lium facturos ſe minati ſunt. At Pontifex ſilere juſſis hanc ipſam Conſtitutionem, de non appellando a Papa ad Concilium, oſtendit; quibus auditis illi ab auſu deſtiterunt. *Pius II.* ſub pœna excommunicationis, ipſo facto incurrendæ, quaſcunque appellationes a ſummo Pontifice damnavit in conventu Mantuano an. 1459. per Bullam *Execrabilis.* An. 1483. *Sixtus IV.* edito diplomate Conſtitutionem Pii II. confirmavit, illis anathema dicens,qui a Papa ad Concilium appellant. Quæ Sixti Bulla teſte Odorico Raynaldo in Annalibus Eccleſiaſticis ad annum 1483. juſſu Ludovici XI in Gallia ſolenniter fuit promulgata.

Prob. II. Authoritare omnium fere Doctorum totius orbis Catholici, tum Theologorum, tum Canoniſtarum,qui appellationem a RomanoPontifice ad quemcunque alium rejiciunt, tanquam Eccleſiæ maxime pernicioſam, ac veluti diſcordiarum Seminarium Sacerdotium inter & Imperium.

Prob. III. Ratione theologica. Ex una parte Pontificis, ex Cathedra loquentis, definitiones ſunt infallibiles jam ante aſſenſum Epiſcoporum, ut oſtendimus Poſition. XV. & ſeqq.; ex altera parte Pontifex eſt ſupra Concilium etiam generale, ut ſequenti ſeu ultima Poſitione oſtendemus: ergo a Pontifice, aliquid ex cathedra definiente,non poteſt fieri legitima appellatio ad Concilium generale. conſ. patet; quia ſi ſententia Pontificis eſt infallibilis, imprudenter & impie ab ea fit appellatio ad alium Judicem: imo neque fieri poteſt, quia Papa eſt ſupra Concilium etiam generale, & appellatio locum non habet, niſi a Judice inferiore ad ſuperiorem, ut patet ex ipſa appellationis definitione ad initium hujus §phi indicata.

Opponunt Appellantes: Decreta Papæ, ſi promulgarentur & obſervarentur, ſæpe turbas in regno cierent: poſſent eſſe injuſta, & a veritate aliena &c. ergo Reſpublica neceſſario debet habere medium ad conſer-

van-

vandam tranquilli atem publicam, nempe appellationem ad Conci um generale. *R. & dico*: Decreta Romanorum Pontificum in quæſtionibus Fidei & Morum, ſi illi ex cathedra loquantur, eſſe irreformabilia, juſtiſſima & ſanctiſſima; neque a Catholica veritate, ſed ab hæreſi timendas eſſe ſeditiones.

Dices: Jam a primis Eccleſiæ Sæculis aliquando, *ad procurandam Eccleſiæ tranquillitatem*, volentibus Imperatoribus, Definitiones Pontificiæ de novo examinatæ ſunt. Sic, ut alia taceam, in Concilio Chalcedonenſi iterum diſcuſſa eſt quæſtio de duabus in Chriſto naturis, quam *Leo* jam deciderat: ergo appellatio a Papa ad Concilium generale legitime fieri poteſt. R. diſt. ant. examinatæ ſunt examine curioſo, & excluſis Legatis Pontificiis. nego. ant. (Vide Poſitionem XX.) Examinatæ ſunt præciſe examine inſtructionis & confirmationis, & quidem conſentiente Papa & præſentibus ac præſidentibus ejus Legatis. conc. ant. & nego conſ. ac ſuppoſitum, quod hæc fuerit appellatio proprie dicta. Nam appellationis ſtricte talis tribunal penitus ſejunctum eſt ab eo Tribunali, a quo provocatur.

POSITIO XXIV.

Papa eſt ſupra Concilium etiam Generale

§. XLVIII.

Ut hæc Poſitio rite intelligatur, notandum, eam loqui de Papa indubitato (ſeu tali, cujus electio certo legitima fuit initio, aut qui ſaltem poſtea ab univerſali Eccleſia, absque notabili aut probabili contradictione, acceptatus fuit) & in nullam manifeſtam hæreſin incidente. Omnes enim admittunt, in his duobus caſibus Romanum Pontificem Concilio generali ſubjici. I. Si eſt *Papa dubius*, hoc eſt, ſi ſit rationabile dubium, utrum ſit valide electus, aut per ſubſequentem Eccleſiæ acceptationem legitimus Pontifex factus, v. g. ſi duo electi eſſent Pontifices in diſcordia Cardinalium,

ita,ut prudenter dubitari poſſet de electione utriusque. Etenim ſi in tali caſu Concilium generale Pontifice ſuperius non eſſet, Eccleſiæ non fuiſſet bene proviſum a Chriſto, quæ nullum haberet medium tollendi ſchiſma, ignoraretque, cujus potiſſimum ſententiam in rebus fidei & morum ſequi deberet. II. Si Pontifex, ut perſona privata, exterius & palam cum pertinacia tueretur errorem in fide; quia hoc ipſo deſineret eſſe membrum, multoque magis Caput Eccleſiæ; ſicque Conciliorum authoritati, non ſecus ac alii hæretici, ſubjiceretur. Dixi, ut *Perſona privata*; ut publica enim perſona, atque ex Cathedra loquens, ob promiſſiones Chriſti, Petro ejusque Succeſſoribus factas, hæreſin docere non poteſt (ut in Poſition. XV. & ſeqq. oſtendebamus) negamusque caſum eſſe poſſibilem.

Extra hunc geminum caſum Romanus Pontifex omnibus Conciliis,etiam generalibus, ſuperior eſt, ita, ut nullum Concilium quantumvis generale eum judicare, deponere, aut alium jurisdictionis actum in eundem exercere poſſit.

Prob. I. authoritate S. Scripturæ. Chriſtus Matth. 16.ait ad Petrum: *Tu es Petrus,& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Ergo Petrus & ejus Succeſſores Romani Pontifices ſunt fundamentum Eccleſiæ; prout Galli aliique Adverſarii Catholici nobiscum agentes de Primatu Papæ docent, & fatentur: ergo multo magis ſunt fundamentum Concilii generalis, quod ſolummodo repræſentat univerſalem Eccleſiam. Atqui ſi Papa eſt fundamentumConcilii generalis,eſt etiam iſto ſuperior,quia fundamentum in domo idem eſt, quodCaput in corpore,Princeps in Republica. *Confirm.* illa verba, *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam,* vel dicta fuerunt Petro, ut ab Eccleſia diſtincto, vel ut Eccleſiam repræſentanti, aut cum Eccleſia conjuncto, ita, ut promiſſio ad totam Eccleſiam dirigatur: ſi primum; ergo Petrus vel ejus Succeſſor Romanus Pon-

Pontifex independenter ab Eccleſia eſt fundamentum, & Concilium,a Papa ſeparatum, tantum valebit,quantum domus, a fundamento diviſa: ſi ſecundum; ridiculus & nugatorius eſſet ſenſus: idem enim eſt, acſi Chriſtus dixiſſet: *Fundabo Eccleſiam meam ſuper Eccleſiam*; nam Petrus, repræſentans Eccleſiam,nil aliud eſt, quam Eccleſia in Petro repræſentata, & Petrus conjunctus cum reliquo Eccleſiæ corpore eſt ipſa univerſalis Eccleſia.

Prob. II. ex ipſis Conciliis generalibus, quæ non raro declararunt, ſe revereri Romanum Pontificem, ut Caput Concilii. Sic Patres Chalcedonenſes in Relatione ad S. Leonem Papam de geſtis in Concilio Chalcedonenſi dicunt: *Quibus* (Patribus in Concilio congregatis) *tu quidem,ſicut membris, Caput præeras.* Atqui Caput non ſolum membris ſeorſim ſumptis, ſed toti corpori præeminet: ergo ſimiliter Papa non tantum Epiſcopis ſeorſim ſumptis, ſed omnibus in Concilio congregatis ſuperior eſt, & cum poteſtate præeſt. In *Florentino*, ut diximus §. XXVI., definitum eſt, Romano Pontifici, in B. Petro, *paſcendi*, *regendi & gubernandi univerſalem Eccleſiam* a Chriſto Domino *plenam* poteſtatem traditam eſſe. Quomodo autem Pontifici *plena* poteſtas tradita eſt, ſi Concilio œcumenico ſubjicitur? An Rex, qui Statibus ſui regni ſubjicitur in Senatu congregatis, plenam dici poteſt habere poteſtatem, regnum gubernandi? Porro notandum eſt, per verba illa Florentini: *Quemadmodum etiam in geſtis œcumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur*, Authoritati Pontificiæ non figi certos limites, ut Galli contendunt, neque modum præſcribi, quo Papa Eccleſiam regere, & Canonibus ſubjectus eſſe debeat: ſed œcumenica Concilia, ſacroſque Canones in teſtes vocari, quod Romani Pontifici, prædicta plena poteſtas gubernandi univerſalem Eccleſiam, ex inſtitutione divina Chriſti competat. Ac

ut aliorum generalium Synodorum teſtimonia in rem noſtram taceam, in Lateranenſi V. Leo X. Seſſ. 11. Conſtitutionem edidit, ſacro approbante Concilio, in qua dicitur: *Cum ſolum Romanum Pontificem, pro tempore exiſtentem, tanquam authoritatem ſuper omnia Concilia habentem .. nedum ex S. Scripturæ teſtimonio, dictis ſanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, etiam Prædeceſſorum noſtrorum, ſacrorumque Canonum decretis, ſed propria eorundem etiam Conciliorum confeſſione manifeſte conſtet.* Prælecta fuit Concilii Patribus hæc Conſtitutio, quæſitumque, num Patribus hæc placerent? *Et omnibus placuerunt ſimpliciter*, inquiunt Acta, excepto unico, qui dixit, ſibi non placere revocationem illorum, quæ originem habuerunt a Baſileenſi Concilio &c. Sed hujus unius renitentia non erat curanda. Ergo in Lateranenſi V. ſi non definitum, ſaltem ſancitum & declaratum eſt, quod Papa authoritatem ſupra omnia Concilia etiam generalia habeat. Atque hoc præcipuum, & nulla ſolida ratione enervandum cenſeo eſſe argumentum. Hoc enim Concilium fuit vere œcumenicum, convocatum ab habente legitimam poteſtatem, nimirum Julio II. præſederunt ipſi Pontifices Julius II., eoque demortuo Leo X. Invitati ſunt omnes Epiſcopi totius orbis: ſufficiens Patrum numerus huic Concilio ſubſcripſit, nimirum præter Abbates & generales Ordinum, Cardinales & Epiſcopi 114., qui Baſileenſium Epiſcoporum numerum longe excedebant: acceptatum fuit ab univerſa Eccleſia, atque etiam a Ludovico XII. Galliarum Rege, tanquam verum, legitimum, & œcumenicum agnitum, abjecto Piſano conciliabulo, ut patet ex Seſſ. 8. Ipſi Galli renuntiarunt in hoc Concilio appellationi factæ tempore Julii II. ab hoc ad aliud Concilium, tanquam omnino illegitimæ.

Prob. III. Ex celeberrimo illo axiomate, in ſacris Canonibus adeo decantato: *Summa Sedes* (id eſt, Romana)

mana) *a nemine judicatur.* Unde ipſi Galliæ Epiſcopi, olim a Carolo M. ad cauſam Leonis III, quorundam, criminum falſo accuſati, dijudicandam inSynodo evocati, uno ore conteſtati ſunt, ſe judices Papæ eſſe non poſſe. *Nos*, inquiebant, *Sedem Apoſtolicam, quæ eſt Caput omnium Eccleſiarum, judicare non audemus; nam ab ipſa nos omnes, & Vicario ſuo judicamur, ipſa autem a nemine judicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit.* Leo vero ſummus Pontifex ſacra Evangelia amplexus, ambonem conſcendit in Baſilica S. Petri, & coram omnibus Ordinibus palam juramento ſe purgavit, ut refert *Anaſtaſius Bibliothecarius.* Porro rationem, cur Romana Sedes a nemine judicari poſſit, affert *Lateranenſe III.* can. 10. iſtam: *In Romana vero Eccleſia aliquid ſpeciale conſtituitur, quia non poteſt recurſus ad Superiorem haberi.* Poſſet autem recurſus ad Superiorem haberi, ſi Concilium generale foret Romauo Pontifice ſuperius.

Prob. IV. Multiplici ratione Theologica. I, a ſententia Papæ definitiva non licet appellare ad Concilium generale, ut §. XLVII. probavimus: ergo Papa non eſt ſubjectus Concilio generali; ſecus enim ab ipſo,tanquam Judice inferiore, legitima appellatio fieri poſſet ad Concilium generale, tanquam Judicem ſuperiorem. II. Concilia generalia etiam illa, quæ ab ipſis Pontificibus, vel de eorum conſenſu ſunt celebrata, & quibus Legati Pontificii interfuerunt, errare poſſunt, & turpiter errarunt. Ergo alteri ſubjecta ſunt, qui errores emendet. Atqui hic non eſt alius, quam Romanus Pontifex, a quo ipſa Concilia petunt confirmationem. Ergo is eſt ſuperior Conciliis etiam generalibus. Prob. ant. Ut enim nihil dicam de Conciliis, quæ, præter Romani Pontificis conſenſum, congregata ſunt, ut Trullanum, CPolitanum ſub Copronymo A. 754. quibus Legati Apoſtolici non interfuerunt, errarunt etiam Ariminenſe, Epheſinum II.,

Fran-

Francofordienſe ſub CaroloM.circa cultum imaginum, ac Baſileenſe ſub Eugenio IV., quamvis Romani Pontifices ad ea Legatos ſuos miſerint. III. In quæſtionibus theologicis, præſertim iis, quæ ad jus divinum ſpectare videntur, adhærendum eſt communiſſimæ & antiquiſſimæ ſententiæ, pro qua ſolida pugnant Authoritatis ſacræ & rationum momenta. Atqui talis eſt ſententia illa, quæ docet, Romanum Pontificem eſſe Conciliis etiam generalibus ſuperiorem. Inprimis eſt *communiſſima*, quia, exceptis Gallis Theologis, iisque non omnibus, & exceptis iis, qui hac in re Gallos imitari ſtudent, reliqui catholici orbis Doctores ac Theologi ferme omnes illam tuentur, quamvis nulla peculiari Eccleſiaſtica aut Politica lege adigantur, liberrimumque ſit illorum judicium. Nemo autem ſibi facile perſuadebit, Nationes omnes cæcutire. Dein eſt *antiquiſſima*. Oppoſita enim ſententia ante initium Sæculi XV. ſive ante tempora magni ſchiſmatis, quo tres eodem tempore, nempe *Gregorius XII. Joannes XXIII.*, & *Benedictus XIII.* de Papatu contendebant, incognita erat in Eccleſia Latina, utpote quam Theologorum nullus (Græcos Schiſmaticos poſt tempora *Photii* & *Cerularii*, aliosque hæreticos excipio, quorum authoritas hac in re omnino nulla eſt) antea tradiderat. Ipſe *Joannes Gerſon*, Cancellarius Academiæ Pariſinæ, novæ hujus opinionis aut fabricator, aut ſaltem ſtrenuus propugnator L. de Poteſtate Eccleſiæ Conſider. 12. ſcribit: *Ante celebrationem Sacroſanctæ hujus Conſtantienſis Synodi, ſic occupaverat mentes plurimorum literarum magis quam literatorum iſta traditio* (nempe quod Papa ſit infallibilis, & ſupra Concilia, etiam generalia), *ut oppoſitorum dogmatizator fuiſſet de hæretica pravitate vel notatus, vel damnatus.* Ceterum pro communiſſima & antiquiſſima hac ſententia pugnare ſolida authoritatis ſacræ & rationum momenta, oſtendunt probationes noſtræ; ſicut viciſſim

ciſſim infirmitas argumentorum, quæ Adverſarii pro ſe & contra nos afferunt, patebit ex ſolutione objejectionum.

§. XLIX.

Opponunt I. Authoritatem *S. Scripturæ.* Chriſtus Matth. 18., generatim præcipit: *Si te non audierit* (frater, qui in te peccavit) *dic Eccleſiæ: quod ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Atqui etiam Petrus, vel ejus Succeſſor, Romanus Pontifex, *frater* eſt, qui peccare poteſt: ergo etiam ex Chriſti lege *ad Eccleſiam*, id eſt, ad Rectores Eccleſiæ, ſive Epiſcopos in Concilio generali congregatos, deferri & puniri poteſt. Ita *Gerſon, Almainus*, & alii.

R. Senſus objecti textus eſt: Si peccaverit in te frater tuus, *dic Eccleſiæ*, hoc eſt, Præpoſitis ac Prælatis Eccleſiæ, uti Epiſcopo, Papæ, aut Concilio cum Papa unito. Si nempe peccaverit Diœceſanus, & correptio privata non ſufficiat, deferendus eſt ad Epiſcopum. Si Epiſcopus peccaverit, deferendus eſt ad altiorem poteſtatem, uti ad Archiepiſcopum aut Patriarcham. Si ſummus Pontifex peccaverit, ad altiorem in terris deferri non poteſt; ſed ſi nullæ monitiones & adhortationes proficiant, judicio Dei eſt relinquendus, rogandusque Chriſtus, ut Vicarium ſuum corrigat. Certumque eſt, Deo curæ fore ſalutem ſuæ Eccleſiæ: unde Deus talem Pontificem, qui niteretur deſtruere Eccleſiam, vel converteret, vel per mortem de medio tolleret. Reſiſti etiam eidem poſſet, ſicut Paulus reſtitit Cephæ ad Galat. 2. v. 11. (m). Imo ſi Pontifex cæteroquin certo legitimus, & de hæreſi non ſuſpectus, ſed continua & non

(m) Vide §. XIV. propefinem.

non emendata vitæ licentia, vel perverſa aut negligenti gubernatione graviſſimum Eccleſiæ ſcandalum, ſeu damnum afferret, congregari poſſet, vel etiam deberet Concilium generale, ut ipſe *Bellarminus* L. 1. de Conciliis c. 9. admittit: quo ille certius efficaciusque communi totius Eccleſiæ voce & cohortatione emendaretur. Itaque poterit Pontifex ab inferioribus quoque, debita tamen cum caritate ac reverentia, ſui officii admoneri, & poſitis quibusdam *regulis* ad morum emendationem vel regiminis reformationem *dirigi*: non tamen poſſet Legibus, vel præceptis ſtricte talibus a Concilio ad id obligari & cogi, aut inobediens puniri vel deponi; ſicut Rex vel Monarcha, quantumvis vitioſus & noxius Reipublicæ, a ſuis ſubditis deponi, aut puniri nequit: ſed deberet precibus & ſupplicationibus, ut dixi, emendatio Papæ (ſiquidem iſte caſus emergeret) Deo commendari, & ab operibus ejus malis abſtineri; de cetero tamen ei, tanquam Eccleſiæ Capiti, reverentia & obedientia præſtari, juxta monitum Chriſti Matth. 23.: *Super cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi: omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, ſervate & facite: ſecundum opera vero eorum nolite facere.* Ratio eſt, quia Pontifex ſummus Superiorem ſe non habet, & de nullo crimine, excepta hæreſi, ab Eccleſia judicari poteſt. Unde *Innocentius III.* de Conſecratione Pontificis ait: *In tantum mihi Fides neceſſaria eſt, ut, cum de ceteris peccatis Deum judicem habeam, propter ſolum peccatum, quod in Fide committitur, poſſem ab Eccleſia judicari.* Denique ex Adverſariis quæro: Quis errantia Concilia generalia, Ariminenſia, Epheſina latrocinalia &c. correxerit; ſi ſupra Papam ſunt?

Ex his liquet, verba illa Chriſti: *Si te non audierit* frater peccans, *dic Eccleſiæ*, non eſſe intelligenda

da de Pontifice peccante. Potuit enim Chriſtus generatim dicere: *ſi peccaverit -- frater tuus - dic Eccleſiæ*, quin exprimere & explicite addere debuerit hanc exceptionem: *niſi ſit ſupremus meæ Eccleſiæ Rector.* Hoc quippe ultro ſubintelligitur. Immo ſupremus Rector, ſeu Pontifex *Fratris* nomine non intelligitur. Quamvis enim natura frater noſter ſit, & ut Epiſcopus Fratres Epiſcopos habeat, poteſtate tamen & dignitate Vicarii Chriſti communis eſt omnium Fidelium Pater. Aut num recte Laicus vel Sacerdos Epiſcopum fratrem dicit; etſi iſte, ut homo, vel ut Sacerdos, frater etiam Laici, vel ſimplicis Presbyteri appellari queat. Paucis; niſi Adverſarii aliunde oſtenderint, Romanum Pontificem ſubjici Eccleſiæ, in quem illa proin poſſit animadvertere, fruſtra ex allato textu, *ſi peccaverit in te frater tuus -- dic Eccleſiæ*, evincere conantur, Papam ſubjectum eſſe Eccleſiæ ſive Concilio generali (n).

Inſtant. In Miſſali antiquo in Miſſa feriæ tertiæ poſt Dominicam tertiam Quadrageſimæ Evangelium de fraterna correctione hoc modo legendum invenitur: *In illo tempore reſpiciens Jeſus in diſcipulos ſuos dixit S i m o n i P e t r o: Si peccaverit in te frater tuus -- ſi te non audierit; dic Eccleſiæ.* Ergo etiam Petro, ejusque Succeſſoribus ſupereſt altius tribunal Eccleſiæ, ad quod ſuæ poteſtati inobedientes deferri poſſint. Neque dicas, correctam poſtea eſſe juſſu Clementis VIII. & Pauli V. hanc Miſſalis Romani lectionem in hunc modum: *dixit Jeſus d i ſ c i p u l i s ſ u i s: ſi peccaverit in te frater tuus &c.* Sed hæc correctio videtur præciſe in gratiam Romanorum Pontificum facta, ne altius tribunal, cui ſubjiciantur, debeant agnoſcere.

(n) Vide Cornelium a Lap. in citatum S. *Matthæi* locum pag. 334. *Dices* &c.

re. R. Miror tam frivola argumenta in re tanti momenti ab Adverſariis adferri. Quaſi vero S. Scripturæ textus hebraicus & græcus, conſenſusque diverſorum Latinorum exemplarium de citato Matthæi loco in Polyglottis, & alibi non ſupereſſet; qui juſtiſſimam illam antiqui Miſſalis Romani correctionem ad oculum demonſtraret. Interim S. *Matthæus* immediate ante hæc verba, *ſi peccaverit in te frater tuus*, nec hoc præceptum a Chriſto datum eſſe Petro, nec datum eſſe Apoſtolis ſingillatim aſſerit; ſed ſolum initio totius capitis verſ. 1. memorat, *in illa hora acceſſiſſe diſcipulos ad Jeſum, dicentes: quis putas, major eſt in regno cælorum.* Poſtea Chriſtus in continuatione ſermonis denique v. 15. ſimpliciter pergit: *Si autem peccaverit in te frater tuus* &c.

Oppon. II. Facta *Conciliorum Generalium.* Concilium CPtanum III. damnavit *Honorium* Papam: ergo Concilium generale eſt ſupra Papam. R. diſt. ant. damnavit Honorium vivum, & actu Papam, nego ant. jam diu defunctum. conc. Inprimis damnavit Honorium, quando non amplius erat Papa: ergo ex hoc facto non probatur ſuperioritas Concilii ſupra Papam. Dein vel Concilium conjunctum cum *Agathone* Pontifice tunc regnante, & cum hujus conſenſu damnavit Honorium, vel ſine hujus conſenſu? *Si primum*: ceſſat Status quæſtionis; quia non eſt quæſtio, utrum Concilium cum Papa conjunctum ſit ſupra Papam. *Si 2dum*: Concilium fuit deſtitutum ſufficiente authoritate, & hoc factum fuit illegitimum, adeoque ex eo probari nequit, Concilium eſſe ſupra Papam. Et profecto non deſunt Viri noſtra ætate eruditiſſimi, qui Honorium non ſolum ab hæreſi, ſed etiam ab omni culpa in ſupprimendo Monotheliſmo (o) im-

(o) Vide §. XLV.

immunem, proin ab Orientalibus Epiſcopis in memorata Synodo injuſte damnatum eſſe, contendunt.

Inſtant: Concilium *Piſanum* depoſuit Benedictum XIII. & Gregorium XII. Eundem Juriſdictionis actum in eoſdem ſimulque in *Joannem XXIII.* exercuitConcilium *Conſtantienſe*: ergo Concilium generale eſt ſupra Pontificem. R. conc. ant. diſt. conſ. eſt ſupra Pontificem indubitatum, & certo legitimum. nego conſ. eſt ſupra Pontificem dubium. conc. conſ.Tempore diuturni illiusSchiſmatis erat dubium,quisnam ex duobus vel tribus, qui de Papatu contendebant, ſit verus & legitimus Pontifex.

Dices: *Eugenius IV.* erat verus & legitimus Pontifex: & nihilominus a Concilio Baſileenſi (inter cujus Patres eminebat *Ludovicus Alemannus* Cardinalis Arelatenſis, Vir teſte Ænea Sylvio, poſtea Pontifice ſub nomine Pii II., ſanctitate & miraculis clarus) ſolenniter fuit depoſitus: ergo Concilium generale eſt ſupra Papam etiam certo legitimum. R. Depoſitio hæc Eugenii IV., a Baſileenſibus tentata, fuit auſus ſeditioſus, invalidus, non ſolum a Concilio Florentino, ſed a tota poſteritate reprobatus. Quod attinet *Ludovicum Alemannum* Cardinalem, poteſt excuſari per bonam fidem, qua hoc fecit, firmiter ſibi perſuadens, in Concilio Conſtantienſi eſſe deciſum,tanquam rem Fidei, quod concilium ſit ſupra Papam, ſimulque exiſtimans, turbulentis illis Eccleſiæ temporibus ad pacem Eccleſiæ reſtituendam expedire, eligere alium Pontificem, nempe *Amadeum* Sabaudiæ Ducem, ex Duce & marito Eremitam factum, & Virum ceteroquin piiſſimum, ſub nomine *Felicis V.*; quamvis in hac ſua opinione errarit. Nam etiam Sancti ſæpe errarunt in rebus magni momenti, ſaltem materialiter & bona fide; ſicut *S. Cyprianus S. Stephano* Papæ vehementer reſtitit, erronee putans, ſententiam *S. Stephani* de non rebaptizandis iis,

 qui

qui baptizati ſunt ab homine heretico, eſſe falſam. Ceterum, quæ *Ludovicus* Baſileæ perperam egerat, ſeria pœnitentia expiavit, ut teſtantur *Spondanus*, *Maimburg*, & alii apud Bollandiſtas ad diem 16. Septembris. Præterea *Felici V.* Antipapæ perſuaſit, ut *Nicolao V.*, qui Eugenio IV. ſucceſſerat, ſe ſubjiceret: ipſeque *Ludovicus* in pratiam rediit cum *Nicolao V.* legitimo Pontifice.

Urgent: Concilium Conſtantienſe Seſſ. 4. & 5. decrevit, concilium eſſe ſupra Papam: ergo. R. diſt. ant. eſſe ſupraPapam dubium, conc. ſupra Papam certo legitimum. nego. Accedit, quod hæc decreta concilii Conſtantienſis a nullo Pontifice legitimo fuerint approbata, adeoque non habeant vim Legis. *Neque dicas* cum *Natali Alexandro*: Concilium Conſtantienſe in Seſſ. 5. ſtatuit, *Papam obedire debere mandatis hujus Synodi* (Conſtantienſis) *& cujuscunque alterius Concilii generalis*: ergo loquitur non tantum de caſu Schiſmatis aut Pontificis dubii, ſed de quolibet caſu poſſibili. R. diſt. ant. ut prius. Statuit, Papam *dubium* obedire debere cujuscunque alterius concilii generalis mandatis. conc. Papam certo legitimum. nego. concilium hoc tantum ſtatuit, ut Papa teneatur *mandatis hujus Synodi & cujuscunque alterius Concilii generalis legitime congregati ſuper præmiſſis*, *ſeu ad ea pertinentibus factis & faciendis &c.* Ergo tantum ſtatuit, Papam debere obedire concilio *ſuper præmiſſis*, hoc eſt, in caſu præſentis Schiſmatis, cujus medela in hoc concilio quærebatur. Atque hoc ideo ſtatuerunt PP. Conſtantienſes, quia, cum Schiſma, quod jam ante concilium Conſtantienſe per 40. annos duravit, a *Piſana* Synodo extinctum non eſſet, timebant, ne ipſum quoque concilium Conſtantienſe ſimilem ſortem experiretur, &.Schiſmate necdum finito,diſſolveretur: proin ſtatuerunt, & declararunt, Pontifices dubios non tantum Synodo Conſtantienſi, ſed cuicunque alteri

teri concilio generali, hac in cauſa fortaſſis aliquando celebrando, obedire debere.

At *reponit Natalis Alexander*, & ait, Synodi Conſtantienſis Decretum complecti non tantumodo caſum *exſtirpationis* Schiſmatis, ſed etiam *reformationem Eccleſiæ tam in capite, quam in membris*, & ea, quæ *ad fidem* ſpectant, ut liquet ex Seſſ. 4. Ergo. R. *I.* hæc verba: *& reformationem Eccleſiæ in capite & in membris*, item verba *ad fidem* &c. deſiderantur in multis exemplaribus Concilii Conſtantienſis. *R. II.* omiſſo, non conceſſo, quod genuina ſint citata verba, ea iterum intelligenda ſunt duntaxat de tempore Schismatis, ſeu Papæ dubii. Nam illa verba: *& reformationem Eccleſiæ in capite & in membris*, Synodus non diſtinguit ab exſtirpatione Schiſmatis. Uno enim contextu ait, quod Papa obedire teneatur *in his, quæ pertinent ad exſtirpationem Schiſmatum, & ad generalem Eccleſiæ Dei reformationem in capite & in membris.* Nimirum hoc decretum reſpexit reformationem Eccleſiæ tunc temporis neceſſariam, ut ii, qui ſe Pontifices gerebant, cum tamen, quisnam ſit verus Pontifex, dubium eſſet, in ordinem redigerentur, & reformarentur. Similiter ad Schismatis tempora referenda quoque ſunt verba: *In his, quæ pertinent ad fidem.* Nam jam præcedens Concilium *Piſanum* Gregorium XII. & Benedictum XIII. nolentes comparere in Concilio, ad tollendum Schisma congregato, declaravit hæreticos, quia iſti Pontifices dubii, nolentes in bonum Eccleſiæ abdicare Papatum, habebantur ſuſpecti de hæreſi; quaſi articulum *unam, ſanctam, Catholicam Eccleſiam* non crederent, vel Eccleſiæ unitatem aut ſanctitatem in moribus ac doctrina non curarent. Hinc *Petrus Alliacenſis*, qui tertiæ Seſſioni Concilii Conſtantienſis præſedit, hanc propoſitionem octavam habet: *In caſu prædicto, dum ſcilicet Pontificatum ob Eccleſiæ unionem dimittere renueret,*

ret, Papam tanquam hæreticum & Schiſmaticum condemnant PP. Conſtantienſes, & dictam condemnationem juſtam ac canonicam fore ſimiliter aſſerunt. Igitur Concilium Conſtantienſe, ut viam ſibi ſterneret ad deponendum Joannem XXIII. niſi ſponte ipſe Papatu cederet, declaravit, Papam tempore Schismatis obedire debere Concilio Generali in his, quæ pertinent *ad fidem*, ut, niſi obediret, eum hæreticum declararet.

Ceterum, etiamſi Decreta Seſſ. 4. & 5. Concilii Conſtantienſis loquerentur etiam de Papa certe legitimo, noſtræ ſententiæ non obeſſent; quia illa decreta a nullo legitimo Pontifice fuere confirmata, proin vim Legis non habent. Nam *Martinus V.* ad finem hujus Concilii, nempe Seſſ. 41. legitime electus ſolum approbavit ejusdem Concilii decreta *Conciliariter* facta, id eſt, more in aliis Conciliis recepto, præmiſſa matura deliberatione, auditis rationum momentis ac collatis libere ſuffragiis, plena omnium Epiſcoporum conſenſione concordique judicio ſtatuta & definita; prout ipſe *Martinus V.* in Seſſ. 45. ſeu ultima expreſſe ſignificavit. Atqui decreta illa Seſſ. 4. & 5. de Superioritate Concilii Generalis ſupra Papam non fuerunt facta *conciliariter*, ſed admodum tumultuarie, & pluribus renitentibus Concilii Patribus; prout patebit legenti (p) hiſtoriam hujus Concilii. Nam Decreta illa ab iis ſolis, qui prius adhærebant *Joanni XXIII.* concepta erant, & iis aliæ duæ Obedientiæ *Gregorii XII.* & *Benedicti XIII.* (hoc eſt, ii, qui his duobus adhærebant) vehementer ſe oppoſuerunt. Hinc etiam in camera paramentorum Palatii Conſtantienſis ante Seſſionem V. proteſtati ſunt Cardinales, quod duntaxat propter ſcandalum vitandum ad Seſſionem irent, non vero animo conſentiendi iis, quæ audive-

rant

(p) Vide præter alios *Sardagna* Tom. III. pag. 121.

rant, in ipſa ſtatuenda eſſe. Atque idcirco Decretum Seſſionis V. ab Epiſcopo Poſnanienſi lectum fuit, cum illud promulgare detrectaret Cardinalis *Zarabella* Florentinus.

Addo quædam argumenta reflexa. I. Teſte ipſo *Gerſone* Martinus V. duobus ante finem Concilii menſibus in pleno Conſiſtorio Bullam (q) publicavit, qua prohibet, ne a Papæ judicio ad Concilium Generale fiat appellatio : atqui hæc bulla fuiſſet ridicula, & contradictoria ipſi Martino V. , ſiquidem hic Pontifex Superioritatem Concilii ſupra Papam certo legitimum approbaſſet. Nam ſi Concilium eſt ſuperius Papa, utique a judicio Papæ appellatio fieri poteſt ad Concilium ; cum a judicio Judicis inferioris licitum ſit appellare ad Judicem Superiorem. II. Ex hac Martini V. bulla denuo colligitur, PP. Conſtantienſes in Seſſ. 4. & 5. haud definiiſſe, Concilium Generale *universim* & etiam extra caſum Pontificis dubii, aut in manifeſtam hæreſin incidentis eſſe ſupra Papam ; ſecus non permiſiſſent, dictam Bullam publicari. III. Neque petiiſſent, confirmari Concilium Conſtantienſe a Papa, ſiquidem crediidiſſent, Papam certo legitimum, qualis erat Martinus V., inferiorem eſſe Concilio ; cum utique acta Judicis ſuperioris non indigeant confirmatione & approbatione a Judice inferiore obtinenda. IV. Si Concilium Conſtantienſe univerſim ſuperioritatem Concilii Generalis ſupra Papam defendiſſet, & Martinus V. hoc approbaſſet, non fuiſſent auſi plerique Theologi cum S. Antonino & Cardinale *Turrecremata* poſt Concilium Conſtantienſe, cui hic Cardinalis ipſemet interfuit, defendere & publice docere ſuperioritatem Papæ ſupra Concilium generale ; prout tamen fecerunt.

Reponunt ulterius. Concilii *Conſtantienſis* Decreta

(q) Vide ſupra §. XLVII.

Seſſ. 4. & 5. in Concilio *Baſileenſi* quinquies ſuere repetita, & Concilium Baſileenſe ab ipſo Eugenio IV. fuit approbatum in Bulla *Dudum*: ergo negari nequit, illa decreta a Pontifice fuiſſe approbata. R. diſt. ant. quoad 2. membrum. Concilium Baſileenſe fuit ab Eugenio IV. approbatum, hoc eſt, omnia ejus Decreta fuere approbata. Nego. Eugenius IV. per bullam *Dudum* præciſe revocavit ſuum Decretum diſſolutionis hujus Concilii, & declaravit, quod Concilium Baſileenſe a ſuo principio *legitime* fuerit *continuatum*, & in poſterum ſit *continuandum*. Concedo. Ita teſte *Joanne Turrecremata*, qui ipſe præſens aderat, Florentiæ in Diſputatione publica *Juliano Cæſarino* Cardinali, prædictam bullam *Dudum* in favorem Concilii Baſileenſis alleganti, reſpondit Eugenius IV. præſentibus aliis etiam Cardinalibus, multisque Prælatis, dicens: *Nos quidem progreſſum Baſileenſis Concilii approbavimus, volentes, ut procederet, ut inceperat; non tamen approbavimus ejus decreta.* Addit idem *Turrecremata* L. 2. ſummæ de Eccleſia cap. c. *Quod Eugenius, approbando progreſſum Concilii, non approbaverit decreta illius, exinde manifeſte colligitur, quod, licet Baſileenſes cum magno ſtudio repetitis vicibus ſupplicaverunt, oraverunt, & requiſierunt per Oratores ſuos, ut Dominus Eugenius eorum decreta approbaret, & confirmaret, nunquam tamen talem approbationem aut confirmationem habere ab eo potuerunt.* Imo idem Engenius IV. in Concilio Florentino poſt diſceſſum quidem Græcorum, ſacro tamen approbante Concilio, quod adhuc continuabatur Florentiæ, edidit Conſtitutionem, quæ incipit *Moyſes*, in qua propoſitiones illas, in quibus PP. Baſileenſes ſuperioritatem Concilii ſupra Papam definierant, *tamquam impias & ſcandaloſas, nec non in manifeſtam Eccleſiæ Dei ſciſſuram tendentes damnat & reprobat.* Neque hæc damnatio & reprobatio ab Eu-

Eugenio IV. vel ab ejus Succeſſore *Nicolao V.* aut aliis Romanis Pontificibus unquam fuit revocata ; ſed duntaxat *Nicolaus V.* ex motivo charitatis & pacis, eo facilius Eccleſiæ reddendæ, Baſileenſes ad obedientiam revertentes a Cenſuris abſolvit, quas vi Conſtitutionis illius incurrerant, in qua declarabantur hæretici, ſchismatici, excommunicati, privati omni dignitate, honore & beneficio. Præterea *Nicolaus V.* ratificavit quasdam diſpoſitiones, a Concilio Baſileenſi circa Beneficia Eccleſiaſtica factas: minime vero approbavit illius decreta contra authoritatem Sedis Apoſtolicæ concepta; prout patebit legenti ipſam Bullam *Nicolai V.* in ſumma Conciliorum extantem.

Oppon. III. Authoritatem *Summorum Pontificum, Julii I., Liberii, Zoſimi, Leonis M., Gregorii M.* &c. Qui ultro faſſi ſunt, ſe canonibus conciliorum ſubjectos eſſe. II. Ipſe *Innocentius III.* in Epiſt. ad Philippum Galliarum Regem, rogatus de vinculo conjugali diſſolvendo, reſpondit: *Si ſuper hoc absque generali deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter divinam offenſam, --- forſan Ordinis & Officii noſtri periculum immineret: cum contra præmiſſam veritatis ſententiam noſtra non poſſit authoritas diſpenſare.* III. Pontifices in Concilio præſentes non ſolent edere decreta, niſi cum hac clauſula: *Sacro approbante Concilio.* IV. Infirmum eſt argumentum, quod contra Superioritatem Concilii ſupra Papam ex eo petitur, quod Concilia a Pontificibus confirmari ſoleant. Nam *confirmare* ſtylo Eccleſiaſtico nihil aliud eſt, quam conſentire. Sic in actis Conciliorum ſæpius legitur, a Synodis Provincialibus Decreta Romanorum Pontificum fuiſſe confirmata. Imo ipſi Pontifices non ſemel aſſeruerunt, confirmari a ſe Prædeceſſorum Pontificum conſtitutiones, quin ideo

Sy-

Synodi Provinciales Pontifice Superiores ſint, aut unus Pontifex ſit ſupra alterum.

R. *ad primum.* Hos ſummos Pontifices vel loqui de Canonibus & Statutis, in fide, ſeu jure divino poſitivo & naturali fundatis, quibus derogare nec Conciliis Oecumenicis, nec ſummis Pontificibus fas eſt, cum Papa ſit quidem ſupra Concilia, non tamen ſupra Deum, ſupra Fidem, aut ſanam rationem: vel ſi loquantur de canonibus, ad Eccleſiæ diſciplinam ſpectantibus, id ita intelligendum eſt, quod illis derogare, aut in illis diſpenſare licite nequeant, niſi id ipſius Eccleſiæ neceſſitas vel utilitas exigat; quia poteſtas ſuprema in Eccleſia a Deo Pontifici data eſt in ædificationem, non in deſtructionem. Quamvis igitur Pontifex nec ab Eccleſia, nec a canonibus Eccleſiaſticis, vel Decretis Conciliorum Generalium obligetur, cum ipſe ſuperior his omnibus ſit, tamen obligatur jure naturæ & divino, ne poteſtate ſua ſuprema abutatur; ferme ſicut quivis Princeps aut Monarcha obligatur non quidem legibus ſuis, ſed ipſo jure naturæ, ne Leges ſuas cum ſcandalo ſubditorum paſſim violet, aut poteſtate abutatur.

Ad 2dum dico, ibi actum fuiſſe de diſpenſatione aliqua, quæ neque a Papa, neque a Concilio œcumenico fieri poterat, eoquod juri divino adverſaretur. *Philippus* quippe, abjecta *Ingelburga*, legitima uxore ſua, *Mariam*, Ducis *Meraniæ* filiam, matrimonio ſibi jungere cupiebat, ideoque ab *Innocentio* expetebat, ut divortium iſtud, novumque conjugium ratum haberet: qua in re contrarium votis ſuis Pontificem ſemper expertus eſt. Quod vero *Innocentius*, quamvis id etiam Concilii poteſtatem excedere ſentiret, nihilominus ſcripſerit, ſe id non poſſe absque generalis deliberatione Concilii indulgere, id prudentiæ Pontificis tribuendum eſt, qui pia œ-

conomia uti voluit, ut ſic nectens moras, opportunam nanciſceretur occaſionem, Regem ad officium revocandi.

Ad 3tium R. praxin hanc eſſe recentiorem, cum in Concilio Lateranenſi III. primum cæpta ſit. Dein his verbis, *ſacro approbante Concilio*, non indicatur Superioritas Concilii ſupra Papam, ſed tantum exprimitur conſenſus Concilii, ſive ſententia Patrum Concilii conjuncta & ſubordinata iudicio Pontificis.

Ad 4tum dico, ſi confirmare idem eſſet ac conſentire, non majorem haberet Romanus Pontifex authoritatem, quam noviſſimus Epiſcoporum: hic enim quando Synodalibus decretis conſentit, ea non ſecus, ac Papa confirmaret. Illud adverſariis facile damus, *confirmandi* verbum ab Eccleſiaſticis Scriptoribus latius interdum uſurpari, ut ea nimirum, quæ ſatis firma jam ſunt, confirmari dicantur etiam ab iis, qui nullam vim rebus tribuere poſſunt; adeoque non ſemper confirmationem intelligi, quæ authoritate ſua vim ac robur tribuat, ut allata in objectione exempla recte oſtendunt. At vero cum audimus *Marcianum* Imperatorem ſollicite petentem, (r) ut definitio Concilii Chalcedonenſis a Pontifice confirmetur ad tollendam omnem, quam maligni interpretes de hoc Concilio ſparſerant, dubitationem: cum audimus *Nicæni* II. (s) vel *Sixti* III.

M (t)

(r) Epiſt. 110. inter Leon. *Marcianus* Imper. his verbis enixe rogat: *Quod non nullorum animis, qui Eutychetis etiam nunc pravam opinionem & perverſitatem ſectentur, ambiguitatem multam iniecit, utrum tua Beatitudo, quæ in Synodo decreta ſunt, confirmaverit. Et ob eam rem Pietas tua literas mittere dignabitur, per quas omnibus Eccleſiis & populis manifeſtum fiat, in ſancta Synodo peracta a tua Beatitudine rata haberi.*

(s) Nicæna Synodus II. Action. 5. auctoritatem abrogavit Pſeu-

(t) ſenſa de hac re: cum denique novimus, Romanos Pontifices alia probaſſe, alia autem reprobaſſe, quæ in Conciliis Generalibus fuerant conſtituta, liquidum eſt, confirmare hic idem dicere, ac robur addere, authoritatem impertiri.

Oppon. IV. Authoritatem *Joannis Gerſon* Cancellarii Academiæ Pariſinæ, & *Petri de Alliaco* Cardinalis, Archiepiſcopi Cameracenſis, qui doctrinam de Superioritate Concilii ſupra Papam ſtrenue propugnarunt in Piſano & Conſtantienſi: item auctoritatem *Cleri Gallicani*, qui Anno 1682. pariter declararavit, Pontificem generalibus Conciliis inferiorem eſſe. R. ex illuſtriſſimo *Petitdidier*, Macrenſi Epiſcopo, exigui momenti hac in re eſſe Gerſonis authoritatem. Quamvis enim alias fuerit Vir doctus & piiſſimus, ideoque Doctor *Chriſtianiſſimus* appellatus, tamen ex indiſcreto zelo turbulentis, illis temporibus Eccleſiæ pacem reſtituendi, graviſſimos errores docuit. Sic in Tractatu de mediis readunandi & reformandi Eccleſiam cap. V. ita ſcribit: *Si ergo propter ſalvationem unius Provinciæ deponitur unus Rex, unus Princeps ſæcularis --- multo magis unus Papa, unus Prælatus eſt deponendus* &c. atqui hæc doctrina evidenter eſt erronea, & execratione digna, quia concitandis Seditionibus eſt aptiſſima. In eodem Tractatu poteſtatem clavium Gerſon vult pendere a probitate miniſtri, eamque in Prælatis, aliisque, vitam impiam agentibus Paſtoribus agnoſcere renuit. Taceo plures alios ejusmodi manifeſtos errores.

Mo-

Pſeudo - Synodo 338. Epiſcoporum, propterea, quod *non habuerat adiutorem illius temporis Romanum Papam - - - quemadmodum* NB. *lex dictat Conciliorum.*

(t) S. Sixtus III. Illyrici Epiſcopos ſua epiſtola admonet: *Nec his vos, fratres chariſſimi, conſtitutis, quæ præter noſtra præcepta orientalis Synodus decernere voluit, credatis teneri.*

Moderatior fuit *Petrus de Alliaco*, nec tamen ab omni errore immunis. Similiter doctrina Cleri Gallicani hac de re An. 1682. parum curanda eſt, eamque multi Galliarum Epiſcopi retractarunt atque ipſe Chriſtianiſmus Rex Ludovicus XIV. in literis ad *Innocentium XII.* datis hujus tenoris: *Latere* ſanctitatem veſtram *nolo, jam a me proviſum eſſe, ut edictum, quo Pariſienſium Comitiorum declaratio Anno* 1682. *die ſecunda Martii munita fuerat, quodque eorum temporum conditio a me expreſſerat, effectu deinceps careat, ſuſpenſumque cenſeatur.* Verum mihi ad finem properandum. Qui plura de his reſcire cupit, conſulat Eminent. *Sfondrati* (u) *Sardagna* (x) aliosque.

Oppon. V. Ex *Ratione.* I. Totum eſt majus ſua parte. Atqui Concilium eſt totum, & Pontifex eſt tantum pars Eccleſiæ. Ergo Concilium eſt majus Pontifice. Hoc argumentum erat Achilles *Gerſonis* & *Baſileenſium.* II. Jus naturæ dictat, quod membra, quæ totum corpus inficiunt, poſſint amputari. Atqui Papa flagitioſe vivens eſt tale membrum, quod pravo ſuo exemplo totam Eccleſiam inficit. Ergo poteſt per excommunicationem a reliquo Eccleſiæ corpore abſcindi, deponi &c. III. Papa poteſt ſe ipſum abdicare Papatu. Ergo etiam poteſt invitus deponi. IV. Quamvis Romanus Pontifex ſit ſuper omnes Epiſcopos, ſingillatim & diſtributive ſumptos, probari tamen nequit, quod ſit ſuper omnes, etiam collective ſpectatos, ſeu in Concilio Generali congregatos. V. Eſt de Fide, quod Concilium generale ſit infallibile; non autem eſt de Fide, quod Pontifex ſe ſolo ſit infallibilis. Ergo hic tenetur ſuum judicium ſubiicere judicio concilii generalis. VI. Senten-

(u) Regale ſacerdotium L. 4. cap. ult.

(x) Tom. III. Theol. Dogmat Polemic. §§. CCCCV. & ſeqq

tia defendens, Papam eſſe ſupra Concilium hodie apud plurimos vileſcit: ergo non amplius eſt tenenda.

R. *ad primum*: diſt. mai. Totum eſt majus ſua parte, ſi de toto phyſico ſit ſermo conc. ſi de toto morali. Nego majorem univerſaliter ſumptam. Alias Rex inferior eſſet ſtatibus regni congregatis: Dux exercitus inferior eſſet ſuis militibus: immo Chriſtus ipſe inferior eſſet ſua Eccleſia, cum Chriſtus non totam Eccleſiam conſtituat, ſed tantum ſit inviſibile Eccleſiæ caput. Præterea falſa etiam eſt minor. Concilium enim abſque Romano Pontifice non repræſentat ſufficienter totam Eccleſiam, non eſt totum aliquod, ſed truncus ſine capite, quod eſt pars præcipua & nobiliſſima.

Ad 2dum diſt. maj. Jus naturæ dictat, quod membra poſſint amputari ad præcavendum majus malum, nimirum ſi ſint minus principalia, ſine quibus vita hominis prorogari poteſt, conc. mai. ſi ſit membrum principale, quale eſt caput. Neg. mai. Dein hæc objectio videtur viam ſternere ad ſeditionem, quia ex illa ſequeretur, Regem, regno noxium; poſſe deponi ad ſervandam bonam conſtitutionem regni.

Ad 3tium nego conſ. Papa poteſt libere abdicare ſe jure ſuo, quod habet: contra vero Eccleſia, Pontifice inferior, non poteſt ſibi hoc jus arrogare, quod a Deo non accepit; ferme ſicut ſubditi non poſſunt Regem invitum deponere; quamvis Rex ſponte ſe regno abdicare valeat.

Ad 4tum dico, hanc reſponſionem & diſtinctionem eſſe prorſus novam, & ante tempora magni Schiſmatis in Eccleſia Dei inauditam, atque authoritati S. Scripturæ, SS. Patrum, & ſanæ rationi contrariam. Quis enim dicere audeat, Petro fuiſſe omnes oves, diſtributive ſumptas, a Chriſto commiſſas, non vero collective? Certe Paſtor omnibus ovibus, tam collective quam diſtributive ſumptis, eſt Superior: alio-

lioquin dicendum etiam foret, Epiſcopum ſingulis quidem ſuæ Diœceſis Presbyteris ſuperiorem eſſe, non tamen omnibus collectim ſumptis, ideoque illumSynodo Diœceſanæ ſubjacere; Imperatorem quolibet duce, aut milite ſuperiorem eſſe, non tamen toto exercitu ſimul ſumpto. Profecto *S. Bernardus* (y) ad Eugenium Papam ſcripſit, ipſi in B. Petro *univerſos* Chriſti *greges creditos* eſſe: non *ſingulos*, inquit, ſed *univerſos*, quod poteſtatem in omnes, collective acceptos, deſignat. Concilium quoque *Florentinum* (z) ait, Romano Pontifici in B. Petro plenam a Chriſto datam eſſe poteſtatem gubernandi *univerſalem* Eccleſiam. Et nunquid Chalcedonenſes (a) cum de ſe, in concilio collectis, ad *Leonem* Papam ſcripſerunt, *quibus tu quidem, ſicut membris, caput præeras*, verbo *præeſſe* ſuperiorem in ſe collective ſumptos authoritatem eidem competere faſſi ſunt, qualis nimirum capiti in membra collective ſumpta competit? Unde merito inter ipſos recentiores Sectarios *Jo. Laurentius Moshemius* (b) in Diſſertatione *de Gallorum Appellationibus ad Concilium univerſæ Eccleſiæ* &c. hanc eorundem celebrem diſtinctionem de poteſtate ſummorum Pontificum in omnes diſtributive, non vero collective ſumptos refellens ſcripſit: *Quod --- ſingulis Eccleſiis præeſſe Pontificem dicunt, non univerſæ Eccleſiæ, id tam mihi ſcitum videtur, ac ſi quis affirmaret, membra quidem a capite regi, non vero, quod ex membris conſtat, corpus, aut urbes quidem omnes, villas & prædia ſubeſſe Regi, non vero, quæ his continetur, ipſam provinciam.*

(y) Vide ſupra §. XXVI
(z) Vide §. XVIII.
(a) Vide §. XLVIII.
(b) Legitur inter ejus *Diſſertationes ad Hiſtoriam Eccleſiaſt. pertinentes* edit. Altonaviæ 1733. Tom. I. pag. 612

Ad 5tum. diſt. ant. quoad 1. memb. eſt de Fide, quod concilium generale, conjunctum & conſpirans cum ſuo capite, ſeu Romano Pontifice, infallibile ſit. conc. quod ſejunctum a Pontifice (de quo ultimo caſu hic loquimur) infallibile ſit. Nego.

Ad 6tum. dico, noſtram ſententiam adhuc hodie a plurimis defendi, & nemini argumenta noſtra penetranti vileſcere. Ceterum ſi qui ſunt, qui eam vilipendunt, caveant, ne tueantur propoſitionem ab *Alexandro VIII* proſcriptam, ordine vigeſimam nonam hujus tenoris: *Futilis & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſuper Concilium œcumenicum auctoritate, atque in Fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate.*

NOTA. *Sæpius in hoc opuſculo injecta eſt mentio de famoſa Declarationis Cleri Gallicani an.* 1682. *factæ defenſione, Illuſtriſſ.* BENIGNO BOSSUETO, *Meldenſi Epiſcopo, attribui ſolita. Verum hic animadvertendum cenſemus, complures Literatos Viros non abs re vehementer dubitare, utrum prædicta Defenſio ſit genuinum Illuſtriſſ.* BOSSUETI *opus. Vide Principia Theologica* HENRICI KILBER *num* 196. *pag.* 530. *Ceterum, quisquis ſit autor illius Defenſionis, inde tamen recte colligitur, quænam ſit mens Gallorum circa ſententias, in quarum confirmationem eandem Defenſionem laudavimus.*

3876

Digitized by Google

Digitized by Google

3876

Digitized by Google

by Google